# Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES

NuBIS

R ra 632, 8°.

# ARISTOTELIS AD NICOMACHVM FILIVM DE MORIBVS, QVÆ ETHICA NOMINANTVR, LIBRI X.

Ioachimo Perionio interprete: per Nicolaum Grouchium correcti & emendati.

Ex Bibliotheca minimorum victoriacensium



PRAESIDENTIA ROTHOMAGENSIS IHS
BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITE DE PARIS SORBONNE
ROTHOMAGENSIS IHS

PARISIIS,
Ex typographia Matthæi Dauîdis, via amygdalina, ad Veritatis insigne.
1556.

ACQUISITIONS
63900

# AMPLISSIMO VIRO D. ANIORANO IN CENTVMVIRALI foro apud Lutetiam iudici æquissimo, consiliarióque Regio, Gul. Guerenteus. S. D.

RERVM omnium quas magnitudine sua Philosophia cõplexa est, vir clarissime, cùm vsus ad humanæ vitæ commoda est necessarius: tum cognitio, meditatióque vitæ beatæ, liberalis & honesta exercitatio semper habita est. Quæ homines in hoc mortali & caduco vitæ curriculo, diuina quadam mentis agitatione originis suæ memores, proximè ad deos euehit: efficítque vt quantum naturæ dignitate brutis animãtibus antecellunt: tanto conditione vitæ, & studiorum nobilitate, cæteris hominibus sint præstantiores. Sed inter eas, pars illa vsu & dignitate excellere mihi videtur, quæ in moribus hominum posita, publicam regendæ ciuitatis prudentiam, & priuatam vniuscuiusque vitæ rationem complectitur: officiíque vel colendi, vel exigendi munus, omniúmque hominum actiones, ad fidem communem, quæ societatis humanæ vinculũ, atque adeò, vt ait Cicero, iustitiæ fundamentum est, referendas esse præscribit. Res profectò, siue amplitudinem eius, siue vsum & necessitatem spectes, digna, in quam omnes mortales, omnia studia,

cogitationes, mentem denique omnem conferre debeant. Si enim nihil est melius societate hominum, quam vel ciuitatẽ, vel rempub. vocamus, nihil maiore studio curandum, colendúmque arbitror, quàm quo illa maximè retinetur, augetur, & cõseruatur. Itaque sæpenumero mecum ipse mirari solco, quid sit, quòd ea pars philosophiæ, quæ vniuersam eius rei rationẽ complectitur, stulta quadã hominum persuasione, ita vilis & contempta hoc tempore iaceat, vt indigna iudicetur, cuius nomen vsurpetur: ac humilis animi, & rerum magnarum administratione indigni, exercitatio cẽseatur. Neque verò, si ea solum nostro tẽpore opinio inualuisset, magnopere mirandum esse censerem: quo non valde quicquam honorificum ducitur, nisi quod inducto quodã honoris titulo, ad opes quærendas & augendas, viam patefaciat, & veluti manũ præbeat. Sed postquam homines philosophari cœperunt, paucis exceptis, qui in hanc solam incubuerunt: reliqui omnes, alias quidem partes studiose amplexi sunt: hanc verò aut contempserunt, aut ne fortè partem aliquam philosophiæ prætermisisse viderentur, ad reliquas veluti accessionem quandã, esse voluerunt. Omitto priscos illios, qui sapiẽtes dicti sunt: ac æquales eorum, aut certè aliquanto posteriores, Pythagorã, Democritũ, Anaxagoram, Empedoclem, aliósque quamplurimos: qui se φυσικὸς quasi naturę interpretes, vel professores appellarunt: qui omnẽ operam in perlustrãdis

naturæ cauſis,cælorũ,ſyderúmque cõuerſionibus, mundi elementis,iiſque quæ ad ortũ & interitum & omnino ad omnem naturæ motum pertinent, poſuerunt. De vita & moribus, de officio, iiſque quibus humana ſocietas veluti vinculo quodam continetur, ne verbum quidem fecerũt. Socrates primus, vt ait Cicero, omnem philoſophandi rationem ab eo contẽplationis genere,ad eas diſputationes tranſtulit,quibus honeſti, virtutis, & bene, beatéque viuendi ratio continetur. Quem ſequutus Plato, etſi alterũ philoſophãdi genus non neglexit,tamen hoc ita excoluit,vt alterũ nõ tantopere curare videretur. Cuius authoritate perfectum eſt,vt nemini poſtea nomen philoſophi delatum ſit,niſi vtrunque exercitationis genus coniunxiſſet.Itaqũe etſi poſteriornm ſtudia in omnes philoſophiæ partes incubuerint,tamen pro ingeniorũ,ſtudiorúmque diſsimilitudine alij in aliam partẽ magis inclinarunt. Qui verò omnes ita excoluerit, vt neſcias in qua melius ſe geſſerit, cùm omnes cum ſumma laude tractauerit, vnus poſt hominũ memoriam, Ariſtoteles extitit: vir diuina quadam ingenij vi & vbertate, tantũ ex omnibus philoſophiæ partibus laudis conſequutus, quantum reliqui omnes, ex ſingulis vel aſſequi potuerunt:qui vniuerſam diſſerendi rationem ita complexus eſt, vt in eo genere poſterorũ diligẽtiam & ſagacitatem præuerterit,ac vel addendi,vel detrahendi materiam omnẽ præripuerit. Naturæ verò

rationem omnem, ita dicendo, explicandóque est consequutus, vt nemo vnquam de ea rectè senserit, qui ab eius opinione dissenserit. In ea parte, quæ de moribus est, fuere qui Platonem illi præferrent: & nostro etiam tempore, ipsum (si dis placet) impietatis arguerent. Pij scilicet homines, qui Platonis sententiam de tribus principiis, partibúsque animæ, non facultate tantùm, sed sede & substantia distinctis, probãt: quo veluti fundamento, eius quæ de moribus est contemplationis, posito, necessario efficitur, insitas esse à natura virtutes: vitiáque non tam à voluntate proficisci, quàm naturę instituto & ordine, à principio, & veluti fonte manare. Hinc est celebrata illa, & à Galeno etiam multis verbis tractata sententia, quòd temperaturam corporis sequuntur animi mores: adeò vt nisi quis eam animę sedem, quę rationis est particeps, egregiè temperatam habuerit, præceps cupiditate, & iracundia feratur: & à reliquis animi perturbationibus ita afficiatur, vt sublata omni libertate, non minus quàm pecudes, impetu quodam naturæ huc & illuc rapiatur. Quæ sententia, vniuersam quæ de moribus est disputationem, funditus euertit: cur enim præcepta ad bene beatéque viuendũ tradantur, si, vt quisque se, moresque suos componat, non tã in voluntate, arbitrióque ipsius, quàm in corporis temperie positum sit? Melius itaque Aristoteles virtutem definiuit, habitum in mediocritate positum, à voluntate & arbitrio profe-

ctum:eámque nec natura nobis insitam,nec disciplina comparatam, vsu & exercitatione acquiri & confirmari,ac per eam gradum ad fœlicitatem fieri:quæ,cùm in contemplatione posita sit,actione hominis secundum virtutem,in vita perfecta definitur.Quam suam sententiam his decem libris, copiosè & ingeniosè explicat. Eos libros à Io. Perionio nouo & elegantissimo interpretandi genere anteà in Latinum conuersos, nuper verò à N.Grouchio viro doctissimo & mihi amicissimo, magna ex parte emendatos,cùm accepissem,venit mihi in mentem,quod te,vir clarissime,aliquãdo sapientissimè dicere memini, pessimè sibi suísque studiis cõsulere,qui philosophiæ imperiti,ad iuris ciuilis studium se conferrent:fieri enim,vt iis auxiliis destituti,quæ multa & maxima in eo disciplinæ genere requiruntur, splendore illius offenderentur:mole & pondere oppressi, corruerent:& cùm Iurisprudentia,ea parte philosophię, quæ de moribus est, nitatur, non probari tibi consilium eorum,qui ei disciplinæ se addicerent,cuius principia & ignorarent & negligerent:id certè à te iureconsulto prudentissimo, sapientissimè dictum, magna plurimorum infœlicitate, verisimum esse comprobatur.Itaque non alienum à voluntate & dignitate tua, officióque meo fore mihi persuasi: si curarem vt Michaëlis Vascosani, viri optimi,& typographi fidelissimi & diligentissimi fide & opera sub tuo nomine in manus hominum quàm

emendatissimi veniret. Qua in re, cùm vtilitatem publicam imprimis mihi proposui, tum verò hoc officio, mei erga te animi significationem quandam esse volui. Nam ex quo me in tuorum numerum recepisti, tuorúmque liberorum optimę indolis, & magnæ expectationis puerorum curam commisisti, nunquam destitisti studio, beneuolentia, & assiduitate beneficiorũ me cumulare. Quare ingratus essem, si tantam summi viri erga me beneuolentiam & liberalitatem, non aliquo officij genere mihi gratissimam esse testarer: quod etsi leuius est, quàm pro nominis tui meritorúmque amplitudine, ac alieni laboris emendicata opera potius, quàm meæ testis industriæ: tamen ita mihi cum authore communia esse omnia certo scio, vt hoc meum factum, non modò bene sit acceptu-rus, sed etiam suam operam tibi, homini summę authoritatis, per me oblatam & commendatam, in summi beneficij loco positurus. Accipe igitur, vir clarissime, hanc mei erga te animi significationẽ: atque hac, veluti stipulatione, omnis meæ in posterum industriæ vsum, fructúmque tibi & tuis mancipij iure vendica. Vale.

# ARISTOTELIS AD NICOMACHVM FILIVM DE MORIBVS, QVÆ ETHICA NOMINANTVR, LIBER PRIMVS.

OMNIS *ars, omnis doctrina, omnis actio, omne ſtudium & inſtitutum, ad bonum aliquod refertur. Itaque probè veteres ſummum bonum deſinierunt, id, ad quod omnia referuntur. Finium autẽ genera ſunt plura. Vnum eorum qui actione, alterum eorum qui non ſolùm actione, ſed etiam opere cernuntur. Ac quarũ rerum præterquam quòd actiones, alij præterea fines ſunt, in iis natura ſunt opera meliora actionibus. Et quoniam multæ actiones & officia, artes ac ſcientiæ erant, cõplures etiam fines extiterunt: nã & medicinæ valetudo propoſita eſt, & arti ædificandarum nauium, nauis, & rei militari, victoria, & rationi rei familiaris, diuitiæ. Quæq; artes eius generis vni alicui facultati ſubiectæ ſunt, veluti rei equeſtri, ea quæ frænos cõficit, cæteraq; omnes quæ inſtrumẽta equorũ tractant, vt hæc ipſa & omnia officia bellica rei militari, itémque aliæ alij in iis omnibus, fines earũ quæ principẽ locum tenẽt, magis expetẽdi ſunt, quàm omnium earum quæ ſub eas ſubiectæ ſunt: quippe cum horum cauſa etiam illi expetantur. Nihil autẽ intereſt, vtrum*

actiones ipsæ sint actionũ fines, an aliud quippiã, quẽadmodũ in iis sciẽtiis, quas cõmemorauimus, perspici potest.

Cap. 2

ATQVI si quod est rerũ agẽdarũ vltimum, quod & propter se expetamus, & propter ipsum cætera omnia, nec omnia propter aliud sequimur (sic enim res progredietur in infinitũ, vt inanis omnis noster appetitus, stultúmque studiũ sit futurũ) perspicuũ est in eo esse summũ bonum. Cuius cognitio ad vitã degendã momẽtũ magnũ habet. Nam tanquã sagittarij signũ intuentes, facilius decorum assequemur. Quod cũ ita sit, dãda opera est, vt rudi certè minerua ipsum, & quid tandẽ sit, & cui sit sciẽtiæ vel facultati propositũ, intelligamus. Igitur ei quæ domina est & princeps omniũ, propositũ esse cõstat, qualis ciuilis sciẽtia videtur esse. Nã & quibus in Rep. scientiis vtẽdũ sit, & quas quisque discere debeat, & quatenus, ipsa describit. Atq; etiã facultates eas, quæ in maximo honore sunt & precio, vt rẽ militarẽ, vt rem familiarẽ, vt rhetoricen, huic subiectas cernimus. Quod si artes hæc reliquas omnes, quarũ omne opus est in agendo, ad vsum suũ adhibet præscribitq; legibus quid faciendũ fugiẽdúmq; sit, profectò necesse est eius extremo & fine reliquarũ fines contineri: vt in eo summũ hominis bonũ esse videatur. Etenim si eadem est vtilitas vniuscuiusque & vniuersorũ: at Remp. tamen & capessere & conseruare, maius quiddam ac perfectius videtur. Præclarè enim se res habeat, si vni, eique in solitudine vitam agenti, cõsulatur: at verò si genti & ciuitatibus, multo & pulchrius & diuinius. Atque hæc quidẽ ratio, quoniã ciuilis est, in his tota versatur.

Cap. 3.

IN qua explicãda satis accurata erit oratio, si quan-

tum res proposita feret, explanabitur. Nō enim in omnibus disputationibus limatū accuratúmque genus similiter requirendum est: vt nec in iis, quæ ab arte proficiscuntur. Atqui iis in rebus, quæ honestæ, quæque iustæ sunt, in quibus ciuilis scientia versatur, tanta inest dissimilitudo, tantus etiā ex iis error cōsequitur, vt lege tantūmodo, nō etiā natura videantur constitutæ: ísque etiam in bonis hæret, propterea quòd multi ex iis detrimenta consequātur. Iam enim aliis diuitiæ, aliis vis corporis exitium perniciémque attulit. Ergo satis erit, eos qui ex his & de iis rebus verba faciunt, pingui quadam minerua, & subiecta velut rudi forma, quid in quaque re veri sit, demonstrare: & qui de rebus, quæ plerūque eueniunt, disserunt, ex hísque suas rationes conficiunt, tales efficere cōclusiones, quæ illorū naturam referant. Eodémq; modo accipi probarique debēt, quæ dicūtur omnia. Est enim hominis eruditi, vsúq; periti subtilitatem requirere in omni genere eatenus, quoad rei natura patiatur. Nihil enim interest, vtrū mathematicū suadentē probes, an ab oratore necessariam rationē requiras. Atqui quæ quisque nouit, de iis verè iudicat, eorúmq; æquus est æstimator. De quaque ergò rerū singularū verè iudicabit is, qui vsu singularum rerū valet: omnino verò, qui omni doctrina eruditus est. Doctrina ciuilis scientiæ nō est iuuenis idoneus auditor: est enim expers officiorum, quæ vita desiderat. hæc autē de officiis, & ex iis oratio est. Iam verò cū libidini animi pareat, frustra & inutiliter audiet: quādoquidē finis huic propositus nō in cognitione, sed in actione cōsistit. Qui, puer sit ætate, ánne moribus puero par & similis, nihil interest. Nō est enim vitiū

*in tẽpore, ſed in moribus: quia ſcilicet animi perturbationes in omni vitæ actione ſequatur. Cuius generis hominibus, quẽadmodũ impotẽtibus inutilis cognitio futura eſt. At verò qui rationi ſuas appetitiones obediẽtes efficiũt, ij magnũ fructũ ex hac ſciẽtia cõſequentur. Ac de auditore quidẽ, quæque docẽdi ratio hîc poſtulãda ſit, & quid nobis proponamus his libris, proœmij loco hactenus diximus.*

Cap. 4

*NVNC repetito principio, quoniam omnis ſcientia, & omne inſtitutum ad bonum quoddam refertur, ſtatuamus quid ſit, quò ciuilẽ rationẽ referri dicimus, quæque in re ſit omnium rerum agendarum extremũ bonũ. Conſtitit quidem fere inter omnes, quo nomine appellari placeat. Beatitudinẽ enim & indocti & docti vocãt: bene etiam viuere, & bene agere, idem quod beatum eſſe exiſtimãt. Quid autẽ ſit beatitudo, non conſtat, déq; eo eſt inter eos omnis diſſẽtio: nec verò docti & indocti in eodem ponũt. Alij enim in eorũ aliquo, quæ poſita ſunt in oculis omniũ, vt in voluptate, vt in diuitiis, vt in gloria, aliíq; in alio, plerunq; etiam idẽ in alio qtq; alio. Cùm enim ægrotat, in valetudine ponit: cũ pauper eſt, in diuitiis. Qui autẽ ſibi conſcij ſunt ſuæ ignorationis & imprudẽtiæ, eos admirãtur, qui magnũ aliquid, quod eorũ etiã vires ſuperet, dicãt. Quidã vero præter hæc cõplura bona, aliud quoddã per ſe bonum eſſe putant, in quo ſatis eſt cauſæ, cur cætera bona ſint omnia. Et omnes quidẽ exquirere ſentẽtias, ſuperuacaneũ ſit: cõtenti autem erimus, ſi exquiramus eas potiſſimum quæ eminent, maximéque probantur, quæque aliqua nitantur ratione. Hoc autem obliuiſci nõ debemus, intereſſe inter rationes eas quæ à principiis proficiſcãtur, & eas quæ ad principia perducant.*

ciscũtur, & eas quæ ad ipsa principia ferunt. Rectè enim hoc Plato dubitabat & requirebat, vtra via esset sequẽda, eáne quæ à principiis permanaret ad fines, an quæ ad principia ferret: velut in curriculo, ab iis qui præmia proponunt ad calcem, an contrá. Initium enim capiendũ est ab iis rebus quæ notæ sunt, quàrum duo genera sunt: aliæ enim cognitæ sunt nobis, omnino & per se aliæ. Ac nobis quidem certè ab iis capiendum est exordiũ, quæ sunt nobis cognitæ. Quocirca qui de rebus honestis & iustis, & vno homine ciuilibus, accuratè auditurus est, is sit oportet, bonis moribus præditus & institutus. Principium enim est rem esse. Quod si sit perspicuum, ipsum quãobrem sit, nihil desyderabitur. Homini enim eiusmodi aut iam percepta sunt principia, aut facilè percepta erunt, & cognita. Cui autem horum neutru ineſt, audiat Hesiodi carmina,

„ Optimus est sese qui nouit cuncta magistro:
„ Prudentérque capit quæ semper sunt meliora.
„ Ille etiam bonus est, alium qui recta monentem
„ Audit, & inuentis ponit vestigia lætus:
„ At cui consilium sua nec prudentia donat,
„ Inducítque animum voces contemnere veras,
„ Ille quidem inuisus diuis, & inutilis orbi est.

NOS autem ad eam partem sermonis, ex qua egressi Cap. 5.
sumus, reuertamur. Summũ enim bonum & beatitudinem non sine causa ex vitæ genere videntur existimare, vulgus quidẽ & homines importunissimi, qui eam in voluptate ponunt. Itaque vitæ degendæ rationẽ adamãt delicatam & voluptariam. Tria enim sunt vitæ genera quæ maximè excellunt: hoc quo de modò diximus: ciuile, &

*tertium id, quod in contemplatione & cognitione consistit. Ac multitudo seruorum persimilis, pecudũ vitam illa quidẽ sequi videtur: sed causa ei est, propterea quòd complures eòrum qui potestate & imperio valent, iisdem libidinibus quibus Sardanapalus, constricti tenentur: expoliti verò homines, iique omnes quorum vita omnis in actione rerum versatur, beatam vitam in honore putant. Ferè enim ei vitæ generi, quod in Reipub. administratione positum est, hic propositus est finis: atqui leuius id est, quàm id bonum quod quærimus. Est enim in eorum potius potestate qui colunt, honos: quàm qui coluntur. Summum autem bonum, proprium quiddam auguramur, quódque vix possit eripi. Iam verò gloriam & honorem persequuntur, vt opinionem afferant aliis se esse probos: itaque coli, afficíque honore à prudentibus volunt, & à notis, idque ob virtutẽ. Perspicuũ est igitur, horum quidẽ ratione & sententia, virtutẽ esse meliorem: quàm eandẽ potius quasi finẽ propositam uitæ ciuili licet existimari: quanquã ea quoque à perfecto absolutóque genere distat. Fieri enim potest, vt qui virtute sit præditus, etiã dormiat, aut in vita nihil agat omnino, & præterea maximis in malis miseriísque versetur: eum autẽ qui sic viuat, in beatis, nisi propositi defensor, nemo dixerit. Atque hæc quidẽ hactenus. Satis enim multa de iis dicta sunt in ἐγκυκλίοις, id est in iis quæ palàm in hominũ circulo factæ sunt disputationibus. Tertiũ genus est, quod in contemplandis rebus cernitur, quod deinceps considerabimus. Nam quæ vita in pecuniis congerendis occupata est, vim desyderat ad separandam & tuendam: & pro-*

*fectò in diuitiis non eſt id bonum quod quærimus : quoniam ſunt in bonis vtilibus, quorũ quicque aliò refertur. Quapropter in iis potius quæ ſuprà dicta ſunt, quia propter ſe amãtur, finem vltimúmque bonorum licet putare. Nec tamen in illis eſt, quanquam multæ ad id confirmandum rationes allatæ ſunt, & coaceruatæ.*

ATQVE *his quidẽ omiſſis, vniuerſum bonum conſyderari eſt melius, quóque modo dicatur exquiri. Quæ nobis etſi difficilis exiſtit quæſtio, quòd nobis amici ſint ij, qui ideas induxerunt: tamen æquum eſt veritatis retinendæ cauſa, ſua etiam decreta tollere, philoſophos præſertim. Etſi enim vtrique chari ſunt, tamen præclarum eſt pluris æſtimare veritatem. Qui hanc ſententiam in quexerunt, non faciebant ideas eorum in quibus prius posteriúſque dixiſſent: itaque ne numeris quidem ideam fabricati ſunt. At bonum & in ſubſtantia dicitur, & in qualitate, & in iis quæ cum aliquo conferuntur: quæque per ſeipſa ſunt & ſubſtãtia, iis ſunt quæ cum aliquo comparãtur, naturæ ordine priora. Propagini enim hoc ſimile eſt, eique rei quæ cõſequitur, id quod iam eſt. Non igitur eſſe in bis idea communis vllo modo poteſt. Præterea cùm bonum æquè pateat atque ens, (dicitur enim in ſubſtantia, vt deus, & mens: & in qualitate, vt virtutes: & in quantitate, vt mediocre: & in iis quæ cum aliquo conferuntur, vt vtile: & in tempore, vt oportunitas: & in loco, vt cõmodus habitãdi locus, quæq; ſunt generis eiuſdẽ.) perſpicuũ eſt cõmune aliquid, ſummũ, vniuerſumque, & vnum eſſe nõ poſſe. Neque enim in categoriis omnibus, ſed in vna ſolùm diceretur. Iam verò, ſi eorum omnium*

Cap. 6.

*quæ vni ideæ attributa sunt, vna tantummodo sciẽtia est, necesse est quoque bona omnia sciẽtia vna contineri. Nũc* assumpt
*verò plures sunt etiam eorum quæ sub vnam categoriam subiecta sunt: vt occasionis, in bello quidẽ res militaris: in morbo, medicina: & mediocritatis, in cibo, medicina: in laboribus, gymnastice. Sed quærat aliquis, quid tandem sibi velint, cùm res singulas adiecto pronomine (ipsum) appellant: Siquidem in ipsum hominem & in hominẽ, vna eadémque valet hominis definitio. Neque enim quia homo sit, aliquid inter eos interest. Quod si ita est, nec quia bonum sit, nec quia æternum est, ideo melius bonũ: quandoquidem ne alba res quidem in longum tempus dura-* ✓
*tura, albior est ea, quæ in diẽ. Ac mihi quidem certè probabilius de eo dixisse Pythagorei videntur, qui vnum, in bonorum ponunt ordine, quos Speusippus imitatus est. Sed de his quidem alius est mihi ad dicẽdum constitutus locus.*

*Ex iis autem quæ dicta sunt, quæstio quædam suboritur, quoniam non de bonis omnibus verba fecimus. Dicitur autem vnum genus eorum, quæ per se expetũtur & amantur. Conficientia verò eorum, aut aliquo modo tuetia, aut etiam contrariorum prohibentia, propter illa, aliáque ratione, bona nominantur. Ergo hoc quidem apparet, duo esse bonorum genera, alia propter se, alia propter illa. Separatis igitur vtilibus ab iis quæ per se bona sunt, an vni ideæ attribuantur, consideremus. Ea quidem propter se bona quiuis ponat, quæ sola & seiuncta à cæteris sequatur, vt sapere, vt videre, vt sunt nonnullæ voluptates, vt honores (etsi enim hæc ipsa propter aliquid aliud sequimur, tamen in iis quæ per se bona sunt, licet*

ponere: aut nihil præter ideã sit in bonis. Ita superuacanea species futura est. Sin autẽ hæc quoque sunt in iis quæ per se bona sunt, necesse erit vt in niue & ceruſa cãdoris, sic boni definitionem in iis omnibus eãdem declarari. Atqui honoris, prudentiæ, voluptatis, diuersæ sunt definitiones, hoc ipso quòd bona sunt. Non est igitur vni ideæ commune bonum aliquod attributũ. Sed quonam modo dicuntur? Non enim similia videntur iis quorum nomen est cõmune fortuito. An quia ab vno profecta sunt? an quia ad vnum omnia referũtur? an potius proportione? Vt enim in corpore aspectus, sic est mens in animo, aliúdque in alio. Sed hæc quidem fortasis hoc tempore omittenda sunt: quoniã de iis accuratè disputare, alterius philosophiæ magis propriũ esse videatur. Eadem est ratio ideæ. Etenim si quod vnũ est bonum quod cõmuniter dicatur, aut si quod est seiũctum ipsum per se, perspicuũ est id nec agi ab homine posse, nec haberi. Nũc tale aliquid quærimus. Sed fortè eius cognitio cuipiam videatur conducere ad ea omnia bona quæ adgenda sunt, quæque adipiscenda. Nam si ipsum tanquam exemplar nobis proponemus, facilius quæ nobis salutaria sunt, intelligemus: & cùm intellexerimus, consequemur. Atque hæc quidem ratione quadã nititur oratio, sed scientiis artibúsque repugnãtibus. Nam cùm ad bonum quodã omnes referantur, requirántque id ipsum semper quod deest: tamẽ eius cognitionem prætermittunt vniuersæ. Atqui non est cõsentaneum, artifices tantùm ignorare nec quærere adiumentũ. Illud etiam quæri potest, ecquid textori aut fabro ad artem adiumenti, si ipsum bonum intelligant, afferri queat? aut quo tãdem modo nobilior medi-

Nomina similia nominũ multiplicium in duo

b. i

*cus, clariórue dux belli sit futurus is, qui ideam ipsam intuebitur? Constat enim medicum hoc modo non spectare valetudinem, sed hominis, aut potius certè singulorũ. Medetur enim singulis: atque hæc quidem hactenus.*

Cap. 7 NVNC *autem redeamus ad bonũ quod quæritur, vt quid sit intelligamus. Nam satis constat aliud in alia esse actione & arte: quoniã aliud est in medicina, aliud in re militari, cæteríque omnibus eodem modo. Quid est igitur quod cuique arti bonũ propositũ est, nisi quò omnia quæ rectè fiũt, referuntur? Hoc in medicina valetudo est, in re militari victoria, in architectura domus, aliúdque in alia, in omníque actione & cõsilio finis: quandoquidẽ eius causa omnes agũt omnia. Quocirca si vnus aliquis est finis rerũ agendarum omnium, sit in eo id bonum quod agendũ est: sin autem sit in pluribus, in eis ipsis. Atque illo quidem quasi transitu eodem rediit oratio nostra, vnde digressa erat: quod iam nobis apertius explicandum est. Quoniam autem plures fines sunt, alióque propter alios expetimus, vt diuitias, vt tibias, & vno nomine instrumenta: perspicuum est, non esse omnia perfecta. Quod autẽ optimum est, id omne perfectum. Si ergo vnũ aliquid vndique perfectũ est, in eo id positum est quod quæritur: sin plura, in eorum absolutissimo. Atqui quod propter se expetitur, id confirmamus eo quod propter aliud expetitur, perfectius: & quod nunquã alió refertur, iis omnibus quæ propter se & propter hoc expetuntur. Id igitur omnibus numeris perfectũ est & absolutum, quod propter se semper, nunquam propter aliud expetendum est: qualis fœlicitas videtur maximé. Nam & propter se eam semper, & nunquam pro-*

pter aliud optamus. At verò & honorem, & voluptatẽ, & intelligentiam, & omnes virtutes vi ſua, ex ſe, & propter ſe illas quidem optamus: quandoquidem detracta omni opinione vtilitatis, tamen eorum ſingula optaremus: ſed beatitudinis etiam cauſa eadem expetimus, quòd per ea ſperemus nos ſummum bonum adepturos. At fœlicitatem nemo earum, neque aliarum rerum omnino cauſa expetit. Quod idem ex ea etiam abundantia rerum quæ ſe ipſa contenta eſt, efficitur. Quod enim bonum vndique perfectum eſt, omne ſatis eſſe & ſufficere videtur. Satis autem eſſe ac ſuppeditare dicimus non ipſi ſoli, vitam in ſolitudine agenti, ſed parentibus, liberis, coniugi, cæteriſque amicis & ciuibus: quandoquidem homo aptus eſt ad cœtus ſocietatémque natura. Sed in iis certi quidam termini conſtituendi ſunt. Nam ſi progrediamur ad parentes, ſi ad poſteros, amicorúmque amicos, nunquã finis reperietur. Sed hoc rurſus alio loco conſyderabimus. Quicquid id eſt quod ſeipſum contentum ſit, ſtatuimus eiuſmodi, quod ſolum ſeiunctum ſecretúmque à cæteris vitam expetendam efficit, & nihil requirentem: qualem beatam vitam eſſe ducimus. Et præterea ſi cum cæteris bonis non coniungatur, anteponendam eſſe omnibus: ſin coniungatur, perſpicuum eſt pluris eam eſſe cum minimo bono coniunctam, quàm ſeparatim. Bonorum enim præſtantia, acceſſione eius quod additur ad aliquid, exiſtit. At maximum quodque bonum ſemper expetendum eſt maximé. Hoc igitur iam apparet, fœlicitatem perfectum quiddam eſſe, omnibúſque ſuis partibus abſolutum, ſéque ipſam eſſe contentam, cum rerum agendarum omnium ſit extremum.

*Sed fortaſſe beatitudinem ſummum bonum appellari inter omnes conſtat: hic verò locus vt magis explanetur quid ſit, poſtulat. Id iam patebit, ſi quod ſit hominis opus & officium intelligatur. Vt enim tibicen, quique ſigna fabricatur, omníſque artifex, iique omnes, quibus aliquod opus propoſitum eſt, vel actio, in opere ipſo finem perfectionémque artis ſtatuunt: ſic homini, ſi quod eſt eius opus & officium, faciendum eſſe videatur. Ergo in fabro erunt & ſutore certa aliqua officia & actiones, in homine nulla erũt, natúſque eſt ad otium? An non vt oculi, manus, pedis, ſingulárúmque partium ſuum eſt munus: ſic homini quoque præter hæc omnia, opus aliquod munúſque tribuetur? Quodnam erit illud tandem? Eſt enim ei cum ſtirpibus vita communis. At proprium hominis bonum quæritur. Vita igitur ad alendum augendúmque pertinens, ſemouenda eſt. Hanc ſequitur vita ſenſu directa. At communis eſt & equi, & ouis, & animantium omnium. Relinquitur ergo vita ea, quæ in actione verſatur, quæque ab ea parte animi proficiſcitur quæ rationis eſt particeps. Huius porrò vis vna eſt, quæ rationi paret: altera, in qua ipſa ſedes eſt rationis & cogitationis. Cùm verò huius quoque vis ſit duplex, ea conſtituenda & ponenda eſt, quæ actione cernitur. Hanc enim dici eſt aptius. Quòd ſi ita eſt, opus officiúmque hominis ſit neceſſe eſt, animi actio rationi conſentanea, aut certè à ratione non aliena. In eodẽ autem genere vnius & eiuſdem, & quatenus probus nõ eſt, & quatenus eſt, officium ponimus, vt citharœdi, & clari citharœdi: quod cõtingit in omnibus, addita ad opus virtutis excellentia. Citharœdi enim eſt, vti fidibus: nobilis, ſcitè*

vti. Quod cũ ità sit, hominis opus & munus in vita quadã ponemus, quæ eadẽ actio est animi, rationi congruens. Quæ omnia boni viri est rectè ac præclarè gerere. At sua quicque virtute rectè absoluitur & expletur. Quòd si ita est, summum hominis bonum animi actio est virtuti consentanea. Quod si plures virtutes sint, optimæ ac perfectissimæ, idque in vita vndique perfecta. Vt enim vna hirundo non facit ver, nec dies vnus: sic vnus dies aut breue tempus non efficit beatum. Atque hoc quidem pacto summum bonum circunscriptum sit. Primum enim in quaque re ducenda sunt prima lineamenta, tum ad rem accuratius, veriſque coloribus pingendam accedendum. Videtur autem cuiuſuis esse producere, ac distinctius explicare ea, quorum sit prima descriptio rectè anteposita: quarum etiam rerum in tempore posita inuentio est & adiumentum, à quo etiam artes ipsæ à tam exiguo principio profectæ ad tantum decus peruenerunt. Potest enim quilibet id quod deest, addere. Atque etiã meminisse debemus, quod suprà dictum est, subtilitatem non eodem modo quærendam esse in omni disputatione: verùm pro rei quæ proposita sit natura: atque eatenus, quoad ars & instituta ratione quadam tractatio patiatur. Nam & faber & geometra non eodem modo rectum angulum inuestigant: sed ille, quatenus est ad opus vtilis: hic quoniã spectator est & æstimator veritatis, quidnam sit, & qualis, requirit. Eodémque modo faciendum est in cæteris omnibus, ne in eo quod attingendum fuit, quàm in eo cuius causa attigimus, longior ponatur oratio. Neque verò omnium similiter quærenda & inuestiganda causa & ratio est: nonnullisque in locis

contenti esse debemus, si rem esse doceamus, vt fit in principiis. Est autẽ primum & principium, rem esse. Principiorum autem alia inductione cognoscuntur, nõnulla sensu quædam consuetudine, aliáque aliter. Eorũ autem singula ita sunt tractanda vt fert eorum natura: dandáque opera est, vt probè explicentur, cùm præsertim magnum momentum ad ea omnia habeant quæ consequũtur. Quocirca plus principium, quàm dimidium totius rei valet: eóque fiunt multa perspicua eorum, quæ indagantur.

EXPLICANDVM igitur est hoc principium non solùm per conclusiones, & per ea ex quibus constat definitio, sed ex iis etiam quæ de eo feruntur. Nam & congruunt cum vero quæ vera sunt omnia, & quamprimùm verum dissentit à falso. Cùm ergo bonum in tria genera sit diuisum, sintque alia bona fortunæ, alia animi, & alia corporis: animi bona verissimè & maximè bona nominamus. Itaque quoniam actiones animi & officia in animo ponimus, id sanè à nobis præclarè dictum est, & aptè ad hanc sententiam, quæ & vetus est, & philosophis comprobata: illud etiam rectè, quòd in actionibus quibusdam finem extremúmque ponamus. Sic enim fit, vt ad bona animi non ad externa pertineat. Cum definitione etiam nostra id congruit quod dici solet, bene agere & bene viuere hominẽ beatum: nil enim nos aliud ferè summum bonum esse diximus, quàm bonam quandam viuendi & agendi rationem. Atque étiam in eo in quo diximus esse fœlicitatem, ea omnia insunt quæ de beatitudine quæruntur: aliis enim in virtute videtur, aliis in prudentia, quibusdam in sapientia: nonnulli eam in his ponunt,

aut in horum aliquo, aut adiuncta, aut non seiuncta voluptate: alij etiam rerum externarum adiungunt affluentiam. Atque hæc est multorum ac veterum, illa perpaucorum clarorúmque virorum oratio & sententia: quorum neutros verisimile est omni ex parte aberrasse, sed aliqua: quinetiam magna ex parte rectam viam secutos. Ac cum iis quidem qui beatam vitam dicunt omnem virtutem, aut aliquam virtutem, consentit definitio: est enim ei actio cõsentanea. Magnopere autem refert profectò, in possessione summum bonum, an in vsu, an in habitu, an in actione ponatur. Fieri enim potest, vt is in quo inest habitus, nihil rei præclarè gerat, vt dormientes, aut alio modo otiosi. At verò is in quo est actio, non potest: aget enim necessariò, & honestè aget. Vt autem in Olympicis ludis, non formosissimus quisque, aut robustissimus corona donatur, sed qui in certamen descendunt: (horum enim nonnulli vincunt) sic eorum quæ in vita honesta ac bona versantur, compotes fiunt ij, qui recta quæ sunt, faciunt. Quorum vita ipsa per se iucunda est, quoniam voluptate affici in iis numeratur, quæ in animo insunt. Cuius autem rei quisque cupidus est, ea delectatur. Vt equo, is qui amat equos: theatro, qui theatri cupiditate ducitur. Eodémque modo rebus iustis lætatur is, qui iusti & æqui studiosus est: & omnino rebus quæ ad virtutem pertinent, is cui virtus chara est. Ac multitudini quidem quæ sunt iucunda, ferè inter se pugnant, propterea quòd non sunt natura eiusmodi. Iis autem hominibus qui sunt studiosi honestatis, ea voluptatem afferunt quæ vi sua iucunda sunt. Quo in genere sunt quæ virtuti congruunt actiones. Itaque his sunt

voluptati, idque propter se. Quocirca nihil eorum vita voluptate indiget, tanquam aduentitia, sed in seipsa inclusam habet voluptatem. Nam præter ea quæ dicta sunt, non est vir bonus habendus is, qui honestis actionibus nõ lætetur. Neque enim quisquam aut iustum dixerit eum, qui iustis actionibus non gaudeat: aut liberalem eum, qui non delectetur officiis liberalitatis: itémque in cæteris omnibus. Quæ cùm ita sint, confitendum est per se iucundas esse virtutis actiones. Quinetiam & bonas & honestas, atque adeò tria illa in summo gradu: siquidẽ verè de iis vir bonus iudicat: at iudicat, vt diximus. Est igitur quiddam optimum, honestissimum & iucundissimum beatitudo. Nec vero separata hæc sunt ex Delphico epigrammate:

Nil mage iustitia pulchrum est, meliusque salute:
Res iucunda frui, quod sibi quisque petit.

Insunt enim hæc omnia optimis actionibus, in quibus aut in vna earum optima fœlicitatem esse dicimus. Sed tamen bonis, vt diximus, externis indiget. Vix enim potest, aut ne vix quidem res magnas & dignitatis plenas gerere is, cui nullæ opes, nullæ suppetant copiæ. Permulta enim efficiuntur quasi instrumentis quibusdam, vel amicorum opera, vel pecunia, vel authoritate & potentia, qua inter tuos ciues valeas: sùntque nonnullæ res, quarum amotio beatam vitam labefactet, vt nobilitas, vt liberi, vt forma. Neque enim planè ad beatitudinem aptus est is, qui omnino deformis sit, aut ignobilis, aut qui vitam in solitudine degat, aut sit sine liberis: ac multò etiam minus forsan, si cui sint liberi improbissimi, vel amici boni è vita excesserint. Ergo, vt diximus, has prosperitates videtur

*beata vita requirere. Ex quo fit, vt quidã fœlicitatẽ idem esse quod secundã fortunam: nonnulli virtutem statuant.*

EX *quo existit quæstio, num doctrina, consuetudine, an alia aliqua exercitatione pariatur: an diuina aliqua causa adsit, an hoc ita sit fortuitó. Ac si quod à diis aliud datum munus hominibus est, profectò consentaneum est, fœlicitatem etiam datã esse à diis: eóque maximè, quòd cæteris rebus humanis melior est, & præstantior. Sed hæc non sunt huius disputationis & temporis. Hoc verò apparet, etiamsi non data sit concessu & munere deorum, mortalium generi, sitque virtutis, artis, aut exercitationis, tamen in rebus maximè diuinis esse ducendam. Virtutis enim merces & finis, optimum quiddam est, diuinum & beatum. Erit verò hoc modo commune maximè, & latissimè patens bonum. Poterit enim comparari disciplina aliqua, & diligentia ab iis omnibus, quorum quidem à virtute animus aliquo vitio non retardetur. Quòd si sic melius est beatum esse, quàm fortuito, certè ita esse confitendum est. Si quidem quicquid à natura proficiscitur, ita secundum naturam fit, vt optimè affectum esse potest: itémque cùm omnia quæ ab arte, causisque omnibus efficiuntur, tum vel maximè quæ ab optima. Magnum autem scelus sit, rem omnium & maximam & præstantissimam fortunæ adscribere. Atque etiam ex definitione perspici potest quod quærimus. Confirmauimus enim eam esse actionem quandam virtuti consentaneam. Reliquorum autem bonorũ partim adesse necesse est, partim sunt adiuuantia & vtilia quasi instrumenta. Atque his consentiunt, quæ initio diximus. Ciuili enim scientiæ finem esse propositum sum-*

Cap. 9.

mum bonum posuimus. Huic autem cura omnis ferè in eo posita est, vt & ciues bonos efficiat, & ad res magnas & honestas agendas idoneos. Iure igitur nec bouem, nec equum, nec aliud animal vllum beatum ducimus. Nullum enim eorum est huius particeps actionis: ob eámque causam, ne puer quidem beatus est: quippe cùm nondum per ætatem ad has vitæ actiones sit aptus. Qui autem dicuntur, ob spem & expectationem quam de se concitant, ducuntur beati. Opus est enim vndique, vt dixi, perfecta virtute, completáque vita. Multæ enim in vita mutationes, variique euentus versantur: fierique potest, vt qui secunda fortuna vsus sit, is in maximas incidat calamitates in senectute: quod de Priamo iis in libris qui de Heroibus scripti sunt, ferunt fabulæ. Qui autem adeò secunda fortuna vsus sit tota vita, ad extremum autem miserè è vita migrauerit, eum nemo duxerit in beatis.

Cap. 10. SED quæret aliquis, num quis alius quoad viuat, iudicandus est beatus: sed Solonis sententia, expectandum extremum tempus ætatis? Ac si ita quidem illud statuendum est, quæri adhuc potest, an etiam tum cùm mortem obiit, sit beatus, an potius id omnino absurdum sit: cùm præsertim fœlicitatem in quadam actione statuamus. Quòd si beatum negamus eum, qui excesserit è vita (nec hoc sanè vult Solon, sed tum denique aliquem tutò beatum iudicari posse, cùm iam à malis est miseriisque liberatus) de hoc quoque nescio quid ambigi potest. Etsi enim sensus abierit, tamen nonnullis bonis & malis, siquidem illa eadem ad viuos illos pertinebant, carere non videntur, vt decore & dedecore, liberorum, posterorum etiam rebus secundis

& aduersis. Verùm ista quoque dubitationem afferunt. Fieri enim potest, vt qui beatam vitam vsque ad senectutem protulerit, migrauerítque conuenienter rationi, eum multæ in posteris mutationes consequantur: quorum nonnulli boni viri sint, degántque vitam ex dignitate: alij contrá. Hoc uerò perspicuum est, eos multis modis à parentũ vitæ ratione posse desciscere. Absurdum itaque sit, si is quoque commutetur, qui oppetiit mortem, sitque aliàs miser, alias beatus. Atqui videtur etiam absurdum, res posterorum nihil, ne ad vllum quidem tempus, ad parentes pertinere. Sed redeundum est ad id quod supra quæsitum est.

Eo enim cognito, fortè hoc postremum quod quærebamus, intelligetur. Si igitur supremus vitæ dies expectandus est, vt tum quisque beatus existimetur, non quòd beatus ipse sit, sed quòd anteà fuerit: quid est quamobrem non sit absurdũ, cùm quisque beatus est, de eo id quod ineſt, non vere dici? quod propter varietatem fortunæ minimè placeat viuos concedere beatos, quódque stabile aliquid ac firmum, vixque mutabile, beatam vitam putamus: fortuna autem sæpe recidat in eosdem. Perspicuum est enim, si eúenta sequamur, eundem nos sæpe aliàs beatum, aliàs miserum esse dicturos. Ita beatum, ~~Chamæleonti simílem, nec satis firmum~~, affirmabimus. Atqui non est rectum, fortunam consectari. ~~Non enim in ea positum est beatum esse vel miserum, etiam si hanc humanam vitam dixeris, vita desiderat. Beatæ autem vitæ dominæ sunt virtuti consentaneæ actiones, contrariæque contrariæ.~~ Hanc autem rationem id quoque confirmat quod modò quæsitum est. Nulla enim in re mortaliũ tanta ineſt firmitas, tanta constantia,

vt in iis rebus quæ virtute geruntur. Multò enim scientiis ipsis & firmiores sunt & constantiores: quarum vt quæque præstantissima est, ita stabilis maximè: idque accidit ob eam causam maximè, quòd in iis maximè exercendis assidui sunt homines, beati. Hæc causa est, cur nulla oblitione obruantur. Inerit ergo in beato quod quærimus, talisque per omne tempus ætatis futurus est. Semper enim vel maximè ea & geret, & cogitabit omnia, quæ virtuti congruunt: & quemcunque fortuna casum inuexerit, hūc maximè decorè & aptè feret: quippe qui verè bonus sit, quadratus, omníque reprehensione carens. Cúmque multos casus fortuna inuehat, iíque magnitudine & exiguitate differant: perspicuum est res secundas & aduersas, quæ paruæ & exiguæ interueniunt, nullum ad vitam momentum habere: quæ autem & magnæ, & multæ prosperè eueniunt, vitam efficere beatiorem. Nam & ad splendorem per se valent, & ad ornatum: & vsus earum gloria plenus est, & dignitatis. Quæ autem contrà accidunt, eæ vitam beatam, illæ quidem labefactant, (nam & dolores afferunt, & multas actiones impediunt,) sed tamen ipsa virtus tum splendescit, apparétque maximè, cùm sedatè ac moderatè quis, & multas, & magnas perfert calamitates: non quòd ille quasi stolidus illa nõ sentiat, sed quòd generoso, forti, magnóque sit animo præditus. Quòd si sunt, vt dixi, vitæ dominæ actiones, certè nemo qui sit beatus, esse miser vllo pacto potest. Neque enim vnquam quæ odio digna sunt, quæque mala, faciet. Eum enim qui verè bonus sit, quique sapiens, putamus omnes casus fortunæ æquo animo esse laturum: ex iis etiam quæ sibi suppetant, sem-

per pulcherrima quæque facturum. Vt & bonus imperator exercitu eo qui adest, semper vt vsùs belli ferat, cõmodissimè vtitur: & sutor ex iis pellibus quæ suppetant, calceũ aptissimum cõficit: eodémque modo cæteri omnes artifices.

Quòd si ita est, qui beatus sit, miser esse nullo modo potest: non tamen beatus sit quidem, si in Priami calamitates incidat. Nec varius quidem certè est & mutabilis. Neque enim ex fœlicitatis possessione facilè quis deiici detrudíque potest: nec id leues casus, sed & graues & magni efficiant. Ex misero autem iterũ beatus non fiet exiguo tempore: sed si quo modo id eueniat, eo fiet, quòd longo quodã peracto temporis spacio, interim res magnas ac præclaras rursus sit consecutus. Quid igitur prohibet nos beatũ statuere eum, qui virtutis perfectæ perfecto fungatur munere, quique in bonorum externorum satis magna adundantia viuat, non aliqua parte ætatis, sed in omni vita confecta atque absoluta? An eodem addendum, qui & eam vitam sit acturus, & mortem quæ anteactam vitam deceat, obiturus? quandoquidem incertus est rerum futurarũ exitus, & beatitudinẽ finem esse, ac quiddã omni ex parte perfectum ponimus. Quæ cùm ita sint, beatos ex viuis dicemus eos, quibus adsint, permansuráque sint quæ enumerata sunt omnia, ac beatos homines. Atque hæc quidem hactenus.

CASVS autem posterorum ac amicorum omnium Cap. II. nihil omnino nos attingere, valde ab amici officio alienum sit, sententiísque omnium repugnare videatur. Igitur cùm multi casus sint, iique longè ac latè differant, cúmque alij magis, alij minus nos attingant, singilatim quidem disserere, longum sit & infinitum: summatim & po-

pulariter, satis. Vt igitur aduersæ res quæ ipsis nobis accidunt, aliæ momentum habent ad vitam, aliæ leues sunt: sic eæ omnes quæ amicis. Sed permultum interest, viuis an mortuis mala contingant: ac multo etiam magis, quàm vtrum res iniquæ & nefandæ in tragœdiis antè tractentur, an gerãtur. Ex qua etiam similitudine casuum discrimen est colligendum: vel potius quærendum est de mortuis, vtrum alicuius boni, aut contrarij participes sint. Perspicuum enim est ex his, etiã si quid ad eos pertineat, siue boni, siue mali, exile id & exiguum aut omnino aut illis fore: sin minus, certè non tantã vim in eo esse, vt vel beatos eos qui non erant prius, efficiat: vel iis qui antè beati erant, beatam vitam eripiat. Ergo hoc quidem iam apparet, res ~~& secundas amicorum & aduersas, ad eos pertinere illas quidem qui occiderint: sed ita, vt neque ex beatis miseros faciant, neque aliud quicquam generis eiusdem.~~

HIS ita expositis, iã fœlicitas in bonis sit laudabilibus, an potius in iis quæ honore & veneratione quadã sunt prosequenda, videamus. Est ~~enim perspicuũ, eam nõ numerari in iis quæ ipsa non sunt per se bona, sed esse possunt.~~ Igitur hoc apparet, quod laudabile sit omne, ob eam causam laudibus affici, quòd affectione aliqua sit præditũ, & ad aliud quodãmodo referatur. ~~Nã & iustos, & fortes, & vno nomine viros bonos, & virtutes propter opera, munera, actionésque laudamus. Et robustos, & qui ad cursum valẽt homines, ceteróque eiusdem generis propterea~~ laudamus, quòd à natura instituti sint, aptique ad gerẽdas res aliquas, ~~quæ in bonis sunt & honestis.~~ Quod ex iis etiam laudibus, quæ Diis tribuuntur, perspici potest. ~~Ridiculas enim eas~~

fore constat, si ad nos referantur. Hoc fit propterea quòd laudes, vt dixi, referendo tribuũtur. Quòd si laus in eo genere est, id perspicuũ est, vt quicque optimũ est, ita minimè laudẽ in ipsum cadere, sed maius aliquid & præstãtius. Idque ex eo etiam perspicitur, q̃ & deos beatos fortunatósque ducimus: & viros, vt quisque ad Deũ proximè accedit. Eadẽ est rerum bonarũ ratio. Beatitudinẽ enim nemo ornat laudibus, vt iustitiam: sed quòd multo & diuinior sit & melior, diuino honore afficit. Rectè etiã Eudoxus videtur primas partes tribuisse voluptati. Nam cùm in bonis esset ipsa, neque laudaretur, declarari putabat, eã rebus omnibus præstare, quæ essent laudabiles: in eo autẽ genere Deum modo ac summũ bonum esse, quoniã ad ea cætera referrentur. Est enim virtutis laus propria: quippe cùm ea apti simus ad res honestas gerendas. Encomia autem ea potius attingunt, quæ tam corporis quàm animi gerantur viribus. Sed hæc quidem accuratius inuestigare eorum sit potius, qui in encomiis elaborarunt: nobis autem ex iis perspicuum est quæ dicta sunt, in bonis iis quæ veneranda nobis & summo honore prosequenda sunt, perfectísque numerari beatam vitã. Quod ita esse hinc etiã apparet, quòd est principiũ: eius enim causa omnes omnia facimus. Principiũ autẽ, idque omne in quo causa est cur cætera bona sint, vt res diuina & plurimũ dignitatis habẽs, æstimandũ est.

SED QVONIAM beatitudo est actio quædam animi virtuti vndique absolutæ congruens, iam virtutis ipsa consyderanda, cognoscendáque est: sic beatam vitam facilius contemplabimur. Atque is quidem videtur qui ciuilr scientia verè instructus est, hanc maximam de

disse operam: quoniam hoc vult, hoc spectat, & ciues bonos efficere, & obedientes legibus. Hoc declarant Cretensium & Lacedæmoniorum legislatores, & si qui alij in eo genere floruerunt. Quòd si hæc ciuilis scientiæ propria est cognitio, perspicuum est, cum eo instituto quod iam inde ab initio secuti sumus, omnem hanc congruere & consentire quæstionem. Videndum est scilicet, quæ sit hominis virtus: etenim de summo bono hominis quærebamus. Sed virtutem dicimus hominis, non quæ corpus, sed quæ animum attingit humanum: beatámque vitam, animi actionem nominamus. Quæ cùm ita sint, perspicuum est, vt eum qui oculos curaturus sit, totúmue corpus: sic eum qui ciuili ratione instructus sit, ea omnia quodam modo quæ ad animum pertinent, cognita habere oportere: ac multo etiam magis, quò maior ciuilis scientia & melior, quàm medicina est. Atqui clari nobiléque medici multum operæ in cognitione corporis ponunt. Cognoscendus igitur ei animus est, qui ciuili scientia est præditus. Cognoscendus est autem horum causa, & quoad satis sit ad ea quæ quærimus. nam subtilior accuratiórque eius explicatio maioris negotij sit, quàm ipsa illa res quam nobis proponimus. De qua quoniã in iis, quas ἐξωτερικὰς appellamus, disputationibus, satis multa diximus, illinc assumenda sunt, quæ ad hunc locum pertinebunt, veluti vnam eius partem expertem esse rationis, participem alteram. Vtrum autem separatæ sint vt partes corporis, & quicquid ex partibus constat: an cogitatione duæ res sint, quæ reipsa separari nequeant, quemadmodum in orbe pars quæ conuexa dicitur, & cõcaua: ad id quod agimus, nihil interest. Eius autem partis,

quæ rationis expers est, alia vis est etiam plantæ communis: eam dico, quæ causa est cur alamur & augeamur. Hanc enim vim animi, tum in iis omnibus quæ aluntur, tum in fœtibus licet ponere, tum etiam in perfectis animãtibus: hanc enim aptius est, quàm aliam. Huius itaque commune quoddam munus est, non hominis propriũ: quippe cùm tum maximè cùm somnus capitur, hæc siue pars, siue vis suo officio & munere fungatur. Atqui bonus ab improbo in somno minimè internoscitur. Hinc negant inter beatos ac miseros per dimidiatum vitæ tempus quicquam interesse. Idque iure ac meritò accidit, propterea quòd somnus animi est requies, qua ratione bonus est, vel malus, nisi si quæ motiones sensim oriantur, eóque meliora visa sint bonorum, quàm quorumlibet. Sed hæc quidem hactenus. Alendi etiam vis prætermittenda est, quandoquidem virtutis hominis expers est. Alia autem est etiam vis animi rationis expers, quæ tamen eius quodam modo est particeps. Nam & continentis impotentisque rationem, & animi partem eam quæ rationem habet, laudamus. Inest enim vera ratio bene sanos ad iustitiam & aequitatem. Constat autem in eis aliquid aliud esse innatum præter rationem, quod repugnat obsistitque rationi. Vt enim in corpore, si partes dissolutas & dissipatas dextrorsum moueri velimus, contrà ad læuam perspicuè feruntur: sic in animo, distrahuntur enim in contrarias partes impotentium cupiditates. Sed in corpore id quod rapit & distrahit, videmus: in animo, non videmus. Certè nihilominus existimare debemus inesse quiddam in animo præter rationem, quod ei resistat & repugnet. Quomodo autem ab

ea diuersum sit, nihil interest. Hoc autem, vt dixi, rationis est etiam particeps: paret enim rationi in continente, ac multò etiam magis in temperatis & fortibus, in quibus omnia rationi congruunt. Hoc ergo apparet, vim expertem rationis esse duplicè: vis enim, ea quæ crescendi causa tributa est, nulla ex parte rationis est particeps: concupiscendi autem & appetendi quodammodo ea vtitur, quatenus ei obedit, atque paret. Atque eam dicimus compotem rationis in ea significatione, qua aliquem dicimus habere rationem patris & amicorum: non autem in illa, qua dicimus quempiam assecutum esse rationes rerum mathematicarum. Nam vim expertem rationis parere quodammodo rationi, & admonitiones, & obiurgationes, & adhortationes indicant. Quòd si confitendum est, hanc quoque vim compotem esse rationis, duplex vis erit rationis particeps: alia propriè & in seipsa: alia veluti probus filius obedit parenti. Hac autem distinctione & dissimilitudine etiam virtus diuiditur: alias enim in ratione esse dicimus, alias more perfectas. In ratione sunt, vt sapientia, vt sagacitas, vt prudentia: more perfecta, vt liberalitas & temperantia. Nam cùm de moribus alicuius loquimur, non sapientem eum, vel sagacem dicimus, sed clementẽ & modestum: sapientem etiam laudamus ob animi habitum: & habitus eos qui laudabiles sunt, virtutum nomine appellamus.

# ARISTOTELIS
## ETHICORVM LIB. II.

SED *cùm duo sint virtutum genera*, Cap. I.
*alterum earum quas in ratione esse dicimus, alterum earum quas morales: rationis quidem magna ex parte à doctrina ortum accessionémque habent. Itaque & exercitationis indigent, & temporis:* ἠ δ' ἠθικὴ, *id est moralis virtus*, ἐξ ἔθους, *id est more, à quo nomen duxit, quod paulum* ἀφ' τοῦ ἔθους *deflexit, omnino comparatur. Ex quo perspicuum est, nullam omnino moralium virtutum ingenerari nobis natura. Nihil enim quod insitum & innatum est, aliter atque est assuescit. Vt lapis qui suapte sponte deorsum fertur, nunquam in sublime ferri assuescat, ne si millies quidem eum quis sursum vt consuefaciat, emittat. Eodémque modo, nec ignis deorsum, nec aliud quicquam aliter, atque ipsius natura ferat, potest assuescere. Non igitur à natura, neque contra naturam, in nobis insunt virtutes: sed nati sumus ad eas & percipiendas natura, & efficiendas consuetudine. Iam verò quæ nobis à natura tributa sunt, eorùm primùm facultates accipimus, deinde officiis muneribúsque fungimur. Quod in sensibus cernere licet. Neque enim ex eo quod crebro aut aspeximus aut audiuimus, sensus accepimus: contráque eorum cùm iam essemus compotes, eis vsi sumus, non cùm vsi essemus, percepimus. At verò virtutes accipimus, anteà cùm*

operis aliquid confectum dederimus. quod in cæteris fit artibus. Quæ enim facienda sunt cùm didicimus, ea agendo, discimus maximé. Veluti homines tum architecti existunt maximè, cùm ædificant: & citharœdi, cùm fidibus vtuntur. Similiter tum iusti, temperantes, fortésque efficimur maximè, cùm ea facimus quæ iusta sunt, quæ modesta, quæ fortia. Atque etiam hoc ipsum declarat & docet, quod fieri solet in rebus p. in quibus legislatores consuetudine & exercitatione ciues bonos efficiunt. Est enim hæc omnium qui leges imponunt, sententia & voluntas. Quod qui minus rectè faciunt, aberrant. quippe cùm hac vna re, præstet vitiosæ bene constituta res p. ~~Iam ex iisdem rebus oritur virtus omnis, & ab iisdem interit~~. Similis est ratio artium omnium. Nã ex eo quòd vtuntur fidibus, & clari & ignobiles citharœdi existunt. Eadẽ est ratio architectorum reliquorúmque omnium. Nam ex eo quòd scitè & peritè ædificant, boni architecti futuri sunt: ex eo quòd inscitè, mali. Quod ni ita se haberet, nec rationi vllus esset, nec doctrinæ locus, omnésque docti & indocti nascerentur. Eadémque omniũ virtutũ causa & sententia est. Nam cùm ea facimus, quæ pactis continentur iis quæ hominibus inter ipsos intercedunt, alij iusti, alij iniusti efficimur. Et cùm ea omnia quæ acerba molestáque sunt, agimus, assuescimúsque aut timere aut confidere, nonnulli fortes, quidam timidi ignauique existunt. Eodémque modo de cupiditatibus & iracundia iudicandũ est: quoniam alij temperãtes & clementes, plerique intẽperati & iracundi efficiũtur: hi quia sic, illi quia secus in iisdem versentur. ~~Atque vt vno verbo finiam, ex sui similibus actionibus omnes habitus~~

*oriuntur. Itaque faciendæ ſunt certo quodam genere actiones: quandoquidem earũ differentias habitus conſequũtur. Non igitur parui, ſed magnopere, atque adeò ad ſummam refert, vtrum ſic, an ſecus iam inde à puero aſſueſcamus.*

QVONIAM igitur huic negotio quod ſuſcepimus, Cap. 2. *non eſt propoſita contemplatio quaſi finis, vt cæteris (idcirco enim agimus, non vt quid virtus ſit, intelligamus, ſed vt boni efficiamur: quandoquidẽ vſus eius nullus foret) neceſſe eſt quemadmodum actiones & officia ducantur, conſyderare. In iis enim ſitum eſt, quemadmodum dixi, vt habitus, quales debent, oriantur. Ac illud quidem commune eſt omnium, idque poſitum ſit, rectæ rationi conuenienter fieri: déque eo diſſeretur poſterius, & quid ſit recta ratio, & quemadmodum affecta ſit ad reliquas virtutes. Illud autem prius conſtare & conuenire debet, omnem quæ de rebus agendis habetur, orationem, populariter, non ſubtiliter tractari oportere: vtque initio diximus, rationes pro rei natura exigendas eſſe. Vt autem in rebus ſalubribus, ſic in actionibus, iiſque omnibus quæ cõducunt, nihil ineſt firmitatis, nihil ſtabilitatis & roboris. Cumque eiuſmodi ſit, quæ de genere toto habetur oratio, multo etiã minus certa eſt, quæ de rebus ſingulis habetur: quoniam nec ſub artem, nec ſub præceptionem vllam cadunt. Sed vt in medicina, & gubernatoris arte, ſic iis omnibus qui in actione rerum verſantur, temporis habenda ratio eſt: quanquam autem id eſt quod nunc agimus, eiuſmodi, tamen danda omnino opera eſt, vt oratione infirmam illã naturam ſtabiliamus.*

*Hoc igitur in primis intelligendum eſt, iis omnibus quæ ſunt in hoc genere, ab eo quod nimium & parum eſt, in-*

teritum impendere natura: perſpicuis enim rebus ad obſcuras illuſtrandas vtendum eſt. Id quod licet in viribus & valetudine cernere: nam & profuſa & remiſſa nimiũ exercitationes labefactant vires, euertúntque funditus. Et poculenta ac eſculenta ſi modum tranſeant, vel infra modum adhibeantur, labefactant valetudinem eodem modo: ſin moderata ſint & modica, pariunt, augent, ac tuentur. Quod idem & in temperantia, & in fortitudine, cæteríſque virtutibus contingit. Qui enim fugit, timétque pericula omnia, quique nullũ perfert, is timidus & ignauus euadit: & qui nullum timet omnino, ſed adit omnia, is audax exiſtit. Itémque qui omnibus voluptatibus perfruitur, nullámque prætermittit, intemperans: qui verò omnes prætermittit & cauet, vt ſolent agreſtes, is ſenſus omnis expers iudicandus eſt. Tollitur enim temperantia, tollitur fortitudo ab eo quod nimium eſt & parum: at verò ſalutares ſunt & incolumes, mediocritate dominante. Verùm non ſolùm ortus incrementáque & interitus ex iiſdem & ab iiſdem efficiuntur, ſed in iiſdem etiam actiones verſantur. Quemadmodum enim aliis in rebus quæ euidẽtiores ſunt, id contingit, veluti in viribus, vt ex eo gignantur, quòd & multum cibi capiatur, & multi labores ferantur, quòd valens viribus efficere poteſt maximè: ſic in virtutibus. Nã & ex eo temperantes efficimur, quòd nos à voluptatibus abſtinemus: & cùm ſumus, ab iis facillimè abſtinere poſſumus. Similis eſt ratio fortitudinis. Nam cùm & ea quæ terribilia ſunt, deſpicere, & eadem magno animo ac forti perferre aſſueſcimus, tum fortes exiſtimus: quales cùm ſumus, quæ terrorem afferunt, facillimè ſuſtinemus.

HABITVS autẽ quales sint ex voluptate ac dolore, quæ facta & opera consequuntur, perspici debet. Nam qui se à corporis voluptatibus abstinet, eóque ipso lætatur, is temperans: qui id molestè acerbéque fert, is intemperãs putandus est. Et qui molesta quæ sunt, forti ac magno animo perfert, ex eóque voluptatem percipit, aut certè nõ fert grauiter, fortis: qui ægrè fert, is habendus ignauus. Virtus enim moralis omnis inhæret voluptatibus ac doloribus. Nam & voluptatum blanditiis deliniti, ad ea gerenda omnino quæ praua sunt, impellimur: & dolorũ cùm admouentur faces, à rectè factis deducimur. Itaque Platonis sententia, institutos esse omnes oportet iam inde à puero, vt lætemur bonis rebus, doleamúsque contrariis. Recta est enim hæc educatio. Iam verò si in actionibus & perturbationibus versantur virtutes: omnem autem perturbationem actionémque omnẽ sequitur voluptas aut dolor: ob eam certè causam virtus in voluptatibus doloribúsque versatur. Hoc etiam supplicia, quæ ob eas sumuntur, indicant: medicinæ enim quædam sunt. Ac emotiones eæ dissimilibus contrariísque rebus solent effici. Præterea habitus omnis animi, quemadmodũ suprà dixi, quibus in rebus positum est, vt melior vel deterior gignatur, in iis vim suam omnem obtinet. A voluptatibus autẽ & doloribus habitus vitiosi nascuntur: propterea quòd ea quis sequatur aut caueat, vel quæ facienda fugiendáque non sint: vel quando, vel quomodo facienda non sint & cauenda, quæque sunt eiusdem generis, quæ ratio præscribat. Itaque virtutes, vacuitates quasdam perturbationum trãquilitatésque animi definiunt. Haud probè quidem, quòd

omnino dicant, nec adiungãt quomodo decet, aut quomodo non decet, & quando, & cætera omnia quæ addũtur. Ergo hoc præponitur, virtutẽ quæ in hoc genere est, in voluptatibus doloribúsque versari, in eáque ad res optimas gerendas inesse momenta maxima: in vitio, contrá. Quod ex eo etiam perspici potest, quia cùm tria sint quæ sequimur, & tria quæ declinamus, honestum, vtile, iucundum: & tria quæ superioribus contraria sint, turpe, inutile, molestum: cùm in iis omnibus vir bonus rectè se gerit, & improbus præposterè, tum vel maximè in voluptatibus. Nam & communis est animantium omnium, & ea omnia consequitur, quæ sub appetitionem cadunt. ~~Etenim quicquid honestum, quicquid vtile, id omne iucundũ.~~ Præterea quoniam vnà nobiscum iam inde ab incunabulis educata est, difficile factu est hanc perturbationẽ euellere omnino, quæ penitus in vita implicata insidet. Atque etiam actiones, factáque nostra dirigimus voluptate & dolore: alij minus, alij magis. Ob eam igitur causam necesse est in his versari hoc nostrum institutum. Non enim in eo parua momenta sunt ad officia & actiones, si quis rectè aut improbè lætetur aut doleat. ~~Præterea difficilius est, vt ait Heraclitus, voluptati obsistere, quàm iracundiæ.~~ At semper vt quicque habet difficultatis & negotij plurimum, ita in eo potissimùm ars omnis virtúsque versatur. Quod enim vndique ~~perfectum absolutúmque~~ est, id ibi maiorem obtinet & splendorem & dignitatem. Quare ob eam etiam causam vt consistat necesse est in dolore ac voluptate omnis, quæ de moribus & ciuili ratione instituitur, disputatio. Nam qui his rectè vtetur, is vir bonus: qui peruerse,

*improbus futurus est. Atque hoc quidem iam confectum est, virtutem in voluptatibus doloribúsque versari: & quibus ex rebus gignitur, ab iis & augeri eam & interire: si eodem modo non fiant, eandem à quibus rebus nata sit, in iis munus suum & officium exequi.*

QVÆRET autem aliquis, quid sit cur dicamus res iustas agendo, iustos, & modestas, temperantes existere oportere: præsertim cùm si res agant iustas, si modestas, iustis iam sint ac temperantes? Vt si qui grammatici musicique munere fungantur, ij grãmatici sint & musici necesse est. An ne in artibus quidem ita fit? Fieri enim potest, vt quis quid præstet eorum quæ grammatici arte continentur, & fortuitò, & alio subiiciente. Ergo tum denique grammaticus erit, & si quid eorum quæ grammatici propria sunt, & si grammaticè faciet, hoc est, si ab ea quæ in eo inest arte grammatica proficiscatur. Iam artium ac virtutũ non est eadem ratio: propterea quòd quæ ab artibus proficiscuntur, quoniam laus omnis & præstantia inclusa in iis ipsis est, satis sit ea certò quodam genere effici. At verò quæ virtute geruntur, non si ea quodam modo affecta sint, cõtinuò iustè temperatéve efficiuntur: sed si is etiam qui faciat quodammodo sit affectus primum, si sciens, deinde si volens & vltrò, idque eorum causa, tertiò, si firmo & stabili animo faciat. Quorum præter scientiam nihil artibus tenẽdis percipiendísque requiritur. Ad virtutes verò, cùm scientia parum aut nihil valet, tum non parua, sed omnia momenta sunt in cæteris: vtpotè quæ consuetudine iustè moderatéque viuendi comparantur. Ergo tum denique res iustæ ac modestæ dicuntur, cùm eiusmodi sunt, quales

viri iusti, temperantéſque agerent. Iuſtus autem & modeſtus is demum eſt, non qui eas res gerat omnino: ſed qui ita gerat, vt iuſti & frugales faciunt. ~~Hoc ergo verè dicũt ex rectè temperatéque acta vita, iuſtos moderatóſque viros effici. Quam vitam qui non traducat, is nunquam eſt futurus bonus.~~ Sed plerique cùm hæc non faciant, ita de-nique ſe & probos fore, & philoſophaturos putant, ſi ad verba confugiant. Ii ſimile aliquid faciunt quod ægroti, qui medicos illi quidem libenter audiunt ac diligenter, ſed nihil eorum quæ præſcripta ſunt, faciunt. Quemadmodum igitur illis nunquam bene habiturum eſt corpus, qui ita curantur: ſic nec his animus, qui iſto modo philoſophantur.

Cap. 5 HIS expoſitis deinceps videndum eſt, quid ſit virtus. Quoniam igitur tria ſunt in animo, perturbationes, facultates, habitus: ex his tribus vnum aliquid ſit virtus neceſſe eſt. Perturbationes autem appello, vt cupiditatem, vt iram, vt excandeſcentiam, timorem, audaciã, vt inuidiam, gaudium, amicitiam, vt odium, deſyderium, æmulationem, miſericordiam, & omnino ea omnia, quæ vel voluptas conſequitur vel dolor. Facultates autem, quibus ad perturbationes accipiendas apti ſumus, dicimus: vt per quas vel iraſci poſſumus, vel dolere, vel miſereri. Habitus verò ſunt, quibus probè vel malè affecti ſumus in perturbationibus: velut cùm iraſcimur: ſi vehementius vel parum, malè: ſin mediocriter, bene affecti ſumus: itémque in cæteris. Ac perturbationes quidem nec virtutes ſunt, nec vitia: propterea quòd ex perturbationibus nec probi nec improbi nominamur, ex virtutibus & vitiis nominamur: quódque perturbationes nobis nec laudi dantur, nec vitio.

*Nec enim qui timet laudatur, aut qui iraſcitur: nec qui omnino iraſcitur, vituperatur, ſed qui certò quodam modo. At verò propter virtutes & vitia iure laudamur, aut vituperamur. Iam iraſcimur & timemus inconſultò: virtutes, aut ipſa conſilia ſunt, aut res geſtæ conſilio. Ad hæc, perturbationibus moueri dicimur: virtutibus & vitiis non moueri, ſed quodammodo affici dicimur: ob eáſque cauſas ne facultates quidem ſunt. Neque enim eò vel boni dicimur aut mali, quòd omnino agere poſſumus, vel laudamur, vel vituperamur. Præterea facultate præditi ſumus natura, boni vel improbi non ſumus, quod ſuprà oſtendimus. Quòd ſi nec perturbationes ſunt virtutes, nec facultates, relinquitur vt ſint habitus. Ac virtutis quidem quod ſit genus, dictum eſt.*

DICENDVM *eſt autem non ſolùm habitus eſſe vir-* Cap. 6
*tutes, ſed etiam quales ſint. Hoc igitur conſitendum eſt, virtutem omnem, in quo ipſa ſit, eum probè affectum reddere, officiúmque ac munus eius probè exequi. Vt virtus oculi, & ipſum oculum integrum efficit, & munus eius perfectũ: virtute enim oculi probè cernimus. Itémq; virtus equi, equum generoſum efficit, & ad curſum aptum, & ad vehendum eum qui inſideat, ad expectandóſque hoſtes idoneum. Quod ſi ita eſt in omnibus, certè hominis virtus habitus erit, quo & bonus homo efficitur, & officio ſuo ac munere probè fungitur. Hoc quemadmodum futurum ſit, & iam diximus, & nunc ita denique perſpici poterit, ſi qualis eius ſit natura, etiam atque etiam conſyderabimus. Licet quidem in omni natura cohærente & continuata, quæque ſecari poteſt & diuidi, & quod præſtat, notare,*

& quod superatur, & quod æquale est: idque vel pro rei natura, vel habita ratione nostri. Æquale autẽ dicitur id, quod mediũ est inter rem quæ præstat, & eã quæ vincitur. Rei autem medium appello id, quod æquè abest ab vtraq; extremitate: idque apud omnes vnũ idémq; valet & efficit. Nostra autẽ ratione id mediũ est, quod nec transit modum, nec deserit, nec vnũ idémque apud omnes valet. Vt si decẽ nimium multa sunt, duo non satis, capiant sex pro rei medio. æque enim superant atque superantur. Hoc autem mediũ à proportione arithmetica ducitur. At quod nobis medium est, non ita sumitur. Non enim si cui decem minas edere nimium sit, duas parum, sex minas magister ludi præscripserit. Est enim hoc fortasse nimium vel parum ei qui capiat, vt Miloni parũ, tyroni nimiũ. Eadẽ est & cursus ratio & lucta. ~~Ita nimiũ & parũ artifices omnes vitant, mediocritatem & exquirũt, & persequuntur: ac mediocritatẽ nõ rei quidẽ, sed quæ à nobis ducitur.~~ Quòd si ars omnis & scientia ita denique præclarè suum munus exequitur & absoluit, si mediocritatẽ intuetur, ad eámque sua opera omnia refert (hinc solent de operibus iis quæ perfecta sunt & absoluta prædicare, nec iis detrahi quicquam nec addi posse: quia nimiũ & parum omnem præstantiam laudémque artis labefactet, conseruétque mediocritas) clari autem artifices eò, vt dixi, opera sua referunt: ~~& vt natura, sic certior est dux virtus, præstantiórque quàm ars omnis: profectò mediocritatis ea sit indagatrix necesse est.~~ De ea loquor, quæ voluntate ac more suscipitur, quæ in perturbationibus actionibúsque consistit, in quibus, & nimium, & parum, & mediocritas: vt & timere, &

*confidere, & concupiſcere, & iraſci, & miſereri, & omnino gaudere, & dolere poſſumus & nimium, & parum: quorum vtrunque non rectè fit. At verò quando, in quibus, & in quos decet, cuiúſque rei cauſa, & quomodo æquum eſt hæc facere omnia, perfectum quiddam eſt ac optimum: quod quidem in virtute ſitum eſt. Itémque in actionibus & officijs, nimium & parũ verſantur, & mediocritas. At virtus in perturbationibus, actionibúſque cõnectitur: in quibus & nimiũ, & parũ in vitio eſt: mediocritas in laude, & rectè factis: quæ duo virtutis ſunt maximè propria. Eſt igitur mediocritas quædam virtus, cùm medij & perfecti ſit indagatrix. Iam peccare licet multis modis, quoniam vt Pythagorei coniiciebant, malum infinitum incertúmque eſt, bonum certum atque finitum. At vero recte factum vno modo licet. Itaque illud facile eſt, hoc difficile eſt. Nã & à ſigno diſcedere facile eſt, & ipſum attingere magni negotij. Ob eámque cauſam nimium & parum in vitio eſt, mediocritas in virtute. Etenim eſt ſimplex virtus, omnigenũm vitium. Eſt igitur virtus, habitus animi iudicio ſuſceptus, in mediocritate poſitus, ea quæ nos attingit, rationéque ſic definita, vt prudens præſcripſerit. Mediocritas autem duorum vitiorum eſt: quorũ alterum eò quòd ſuperat, alterum eò quòd parũ eſt, cernitur. Itémque ob id, quòd alia vitia in perturbationibus & actionibus, decorum modúmque tranſeant, alia ab eo deficiant: in quibus virtus & inuenit, & ſeruat mediocritatẽ. Quocirca virtus natura ſua & definitione, qua quid ſit explicatur, mediocritas intelligitur: rei verò optimæ perfectæque ratione, extremitas. Sed non omni actioni & perturba-*

*tioni modus adhiberi,& apponi poteſt. Sunt enim quædam quæ ſtatim nomine ſuo vitioſa declarari videntur,vt maleuolentia,vt impudentia,vt inuidia:& in factis,vt adulterium, furtum,cædes. Hæc enim omnia, quæque ſunt eiuſdem generis,ipſa per ſe vitioſa dicuntur:non eorum immenſi nimium aut parũ magni progreſſus. Nunquam igitur in rectè factis eſſe hæc poſſunt, ſed ſunt ſemper in vitio: nec in his talibus illud rectè, aut non rectè verſatur, adulterando,vel quando,vel quemadmodum opus eſt: ſed abſolutè quiduis eorum facere,vitioſum eſt. Perinde igitur eſt, ac ſi quis moderatam iniuſtitiam, moderatam ignauiam, moderatam intemperantiam quærat,& immoderatas eas,& nimium paruas. Nam iſto quidem modo, & ei quod modum tranſit,eúmque deſerit, modum apponere licebit:& ei quod vltra modum progreditur,id quod modum ſuperat:& ei quod parum eſt,id quod parum eſt. Vt igitur temperantiæ & fortitudinis, nec nimium eſt, nec parum, propterea quòd mediocritas quodammodo in ſummo ſita eſt: ſic iſtorum modus nullus eſt,nec nimium, nec parum, ſed vt quicque geſtum eſt, ita eſt in vitio.Omnino enim nec eius quod nimium eſt & parum, modus vllus eſt,nec mediocritatis nimium & parum.*

Cap. 7. HÆC *autem non ſolùm de genere toto virtutũ dicenda ſunt, ſed ad ſingulas etiã conuenit accommodare.Omnium enim diſputationũ, quæ de actionibus officiiſq; inſtituũtur, ea quæ ad genus vniuerſum accommodantur,latiſſimè patent:quæ autem ad partes,ad veritatem propius accedunt. In ſingulis enim rebus actiones & officia verſantur, quibus debet reſpondere oratio. Hæc igitur ex ſubiecta ſunt*

descriptione capienda. Ac in metu quidem & confidentia, fortitudo mediocritas est. Eorum autem qui modum trãsgressunt, qui timoris quidẽ vacuitate exuperat, vacat nomine (sunt autem multa vacantia nomine), qui autem confidentia impulsus, modum egreditur, audax confidensque nominatur: at qui nimium timet, parúmque confidit, ignauus dicitur. In voluptatibus autem & doloribus non omnibus quidem, sed ad corpus pertinentibus, iisque potissimùm quæ tactu percipiuntur, minus etiam in doloribus, modus est, temperantia: nimium, intemperantia. Qui porrò à voluptatibus nimium abhorreant, non admodum multi reperiuntur, vt ne nomen quidem habuerint. Appellentur sanè omnis sensus expertes & stupidi. Iam in dandis accipiendísque pecuniis mediocritas, liberalitas dicitur: quæ modum transit, prodigalitas: quæ ab eo deficit, auaritia & illiberalitas: contrarioque modo in iis vltra modum progrediuntur, ab eóque deficiunt. Prodigus enim largiendo modum transit, & accipiendo, abest ab eodem. At verò auarus in accipiendo nimius est, in dando parcus. Atque hæc quidem nũc populariter ac summatim exponimus, hoc ipso contenti, post disseremus subtilius. Versantur etiam in pecuniis aliæ affectiones, quarum mediocritas, magnificentia nominatur. Nam inter magnificum & liberalem hoc interest, quod ille in magnis, hic in paruis cernitur. Nimium, ἀπειροκαλία καὶ βαναυσία, nimium luxum & profusam largitionem vocare possumus: parum, μικροπρέπεια dicitur, sordes appellare possumus, differúntque ab iis quæ sunt liberalitatis. Quid autem differant, posterius docebimus. Porrò in honore &

*infamia, mediocritas, magnitudo animi appellatur: exu-*
*perantia, elatio animi: defectio, paruus pusilluſq; animus.*
*Quam autem rationẽ liberalitatem ad magnificentiam ha-*
*bere docuimus, paruis differentem, eandem habet ad ma-*
*gnitudinem animi quæ in magnis honoribus versatur, alia*
*quæ in paruo honore cernitur. Licet enim, & vt decet, ho-*
*norem gloriámque expetere, & nimium & paruum. Qui*
*nimia cupiditate ducitur gloriæ, is ambitioſus: qui non*
*ſatis, vacuus ab honoris cupiditate appellatur: at qui mo-*
*dum tenet, vacat nomine. Atque etiam affectionibus nul-*
*lum nomen impoſitum eſt, niſi quòd ambitioſi affectio vo-*
*catur ambitio. Hinc extremi de vacua regione, quæ intra*
*fines eorum quaſi media locata eſt, judicio diſceptant: eſt-*
*que cum nos eum qui modum tenet, ambitioſum: eſt cum*
*eundem, abhorretem ab omni honore nominemus. Atque*
*alias ambitioſum laudamus, alias eum qui nullo honoris*
*ſtudio tenetur. Quod quam ob rem faciamus, deinceps*
*explicabimus. Nunc noſtro more diſſeramus de cæteris.*
*Atque etiam in ira exuperantia eſt, defectio, & media-*
*critas. Cúmque eorum non fere extent nomina, eum qui*
*modum tenet, clementem, & mediocritatem clementiam*
*manſuetudinémque nominamus. Extremorum is qui vltra*
*modum progreditur, iracundus, & vitium iracundia ap-*
*pellatur. Qui autem parum iraſcitur, lentus, vitium lenti-*
*tudo dicitur. Sunt etiam tres aliæ mediocritates, finitimæ*
*omnino, ſed tamen inter ſe differunt aliquid. Nam cum*
*in ſermonum actionúmque ſocietate verſentur, hoc tamen*
*differunt, quod vna in veritate, aliæ duæ in vitæ iucundi-*
*tate cernuntur. Atqui huius quidem iucunditatis pars*

altera iocis tribuitur, altera omnibus rebus iis quæ vitam attingunt humanam. Quamobrem de his etiam nobis dicendum est, quò facilius in omnibus ferè rebus mediocritatem esse laudabilem perspiciamus, & extrema nec recta, nec laudanda, quinetiam vituperanda. Et quanquam permulta sint eorum vacantia nomine, tamen danda opera est, vt iis sicut aliis nomina imponamus, quò & res dilucidior sit, & nos facilius consentanea dicamus. Igitur in veritate qui modum adhibet, verax: & habitus, veritas dicitur. Simulatio si in maius prograediatur, arrogantia: & qui eam habet, arrogans: sin sua nimium extenuet, ipsa affectio dissimulationis: & qui ea præditus est, dissimulatoris nomine & crimine notandus. In iucunditate porrò quæ ad iocum accommodatur, qui modum quendam adhibet, is festiuus seu vrbanus habendus est, & affectio, vrbanitas & festiuitas: at quæ modum egreditur, scurrilitas, & in quo ipsa inest, scurra dicitur. Qui verò omnino à iocis abhorret, is agrestis & rusticus: affectio ipsa rusticitas habenda est. Quòd autem attinet ad reliquam iucunditatem, eam quæ in vita adhibetur, qui ita se iucundum præbet, vt ratio postulat, is facilis, comis & affabilis: & mediocritas, facilitas dicitur. Qui modũ egreditur, si nulla causa ductus, nimium facilis & obsequens: sin emolumenti sui causa, assentator habendus est. At qui omnino abhorret, discedítque à modo & ratione, seque tristem rebus omnibus præbet, is morosus & difficilis putandus est. Atque etiã in perturbationibus, iisque rebus omnibus, quæ in perturbationibus versantur, mediocritates reperiuntur. Verecundia enim non est illa quidem virtus: attamen qui

pudore afficitur, vere laudari solet. Nam his in rebus alius modum apponit, alius eum transit, vt pauidus, qui omni ex re pudore afficitur: tertius, qui à modo deficit, nullaque ex re omnino pudore afficitur, impudens: qui autem modum adhibet, is pudens & verecundus dicitur. Indignatio verò, mediocritas est inuidiæ & maleuolentiæ. Certuntur autem in iis ægritudinibus, & voluptatibus omnibus quæ ob eas res suscipiuntur, quæ proximis eueniunt. Qui enim indignatur, is dolet illorum rebus secundis, qui iniuria iis fruuntur. Inuidus hunc vincens dolet rebus omnibus: at maleuolus tantum abest ab eo vt doleat, vt etiã capiat voluptatem. Sed de his quidem alius est mihi ad dicendum constitutus locus. De iustitia autem, quando non vno modo dicitur, deinceps diuisione adhibita, quemadmodum mediocritates vtræque sint, disseremus, itémque de virtutibus quæ rationi attributæ sunt.

**Cap. 8.** CVM autem tres sint affectiones, duæ vitiosæ, quarum vna immoderata est, altera modo deest, & vna virtus in mediocritate posita, sunt illæ omnes inter se quodãmodo cõtrariæ. Nã extremæ & mediæ affectioni sunt, & inter se contrariæ, & media extremis. Quemadmodũ enim si id quod æquale est cum re minore comparetur, maius est: sin cum maiore, minus: sic medij habitus, si cum iis qui absunt a modo conferantur, superant: si cum iis qui modum trãseunt, deficiunt, & in perturbationibus & in actionibus. Fortis enim si cũ ignauo cõferatur, audax & fidẽs: si cũ audaci viro, ignauus timidúsque videatur. Itémque temperans, si cum homine stupido, intemperans: si cum intemperante, nullius sensus videbitur particeps. Et liberalis

cum auaro cõparatus, prodigus: cũ prodigo, auarus habebitur. Ideóque declinant à se, ac protrudũt extremi mediũ, vterque ad alterũ: appellántque fortẽ virũ, audax quidem ignauũ, ignauus audacẽ. Eadémque est ratio cæterorum. Hæc cum ita sint inter se contraria, maior quædã extremorũ inter ipsos, quàm cum medio repugnantia est: quandoquidem longius absunt alter ab altero, quàm vterque à medio. quemadmodum res magna à parua longius abest, & parua à magna, quàm vtraque ab æquali. Iam quædam extrema ad medium videntur quadam similitudine accedere, vt audacia ad fortitudinem, effusio ad liberalitatem. Extremis autem inter ipsos dissimilitudo maxima est. At ea quæ plurimùm differunt, contraria definiuntur. Ita fit, vt magis etiam inter se contraria sint, quæ plus distant. Medio autem in nonnullis repugnat magis parum, in quibusdam nimium. Vt magis est fortitudini contraria, non audacia quidem quæ modum transit: sed ignauia, quæ à modo & ratione deficit. Et temperantiæ non stupor & stoliditas, cùm sit defectio: sed intemperatia, quæ exuperantia est. Id quod ob duas causas accidit: vna, quæ ex rei ipsius natura ducitur. Nam quia propius est atque similius alterum extremũ medio, idcirco non ipsum, sed contrarium magis opponimus. Veluti quoniã similior est, ac vicinior audacia fortitudini, dissimilior ignauia, ideo hãc magis opponimus. Quorum enim plus absunt à medio, eadem ipsi magis repugnant. Atque hæc quidem causa ex rei natura sumpta est: à nobis ducta est altera. Nam quas ad res sumus procliuiores natura, eæ sunt medio magis contrariæ: vt quia propensiores sumus ad voluptates na-

tura, idcirco ad intemperantiam sumus, quàm ad modestiã procliuiores. Quapropter ea magis contraria dicimus, ad quæ maior est accessio: ob eámque causam magis est intemperantia, quæ exuperantia est, contraria temperantiæ.

Cap. 9. SATIS dictum esse arbitror, virtutem eam quæ more ac voluntate suscipitur, esse mediocritatem, quóque modo esset: ac mediocritatem quidem esse inter duo vitia, id est, nimium & parum: eámque talem esse, propterea quòd indagatrix esset modi eius, qui in perturbationibus actionibúsque reperiretur. Quocirca difficile est in virtute excellere. Nec enim quicquam difficilius, quam reperire in omni re medium. Vt circuli medium non cuiuslibet est, sed periti tantummodo reperire. Itémque irasci quiuis potest, largiri pecunias, sumptúsque facere, idque facilè: at verò irasci, & largiri pecuniam cui rectum est, & quantum, quando, qua de causa, quóque modo irascendum dãdúmque est, nec cuiusuis est, nec facile. Quapropter omnia præclara, rara, laudabilia, & pulchra. Quare omnes qui mediocritatem inuestigant & exquirunt, primùm ab eo debent, quod magis ei contrarium est, discedere: quemadmodum Calypso monebat:

Tu procul à fumoque rega, vndisque carinam.

Extremorum enim alterum grauius peccatum est, leuius alterum. Quoniam igitur modum tenere difficillimum est, secunda, vt aiunt, nauigatione minimũ malum est eligendum. Quod fiet ea potissimum ratione, quam docebamus.

Videndum est etiam diligenter, quæ ad vitia simus procliuiores. Alij enim ad alia, natura procliues sumus. Quod facilè ex ea voluptate & ægritudine quæ nobis accidit, intel-

ligemus. Se autem quisque ab ea in contrariam partem debet deducere. Longè enim à delinquendo abducti, veniemus ad mediocritatem. Quod quidem faciunt ij qui ligna contorta in rectum dirigunt. In omni autem negotio cùm id omne quod voluptatem efficit, tum vel maximè vitanda voluptas est: quippe de qua non veniamus incorrupti ad iudicandum. Quocirca quo animo senes illi erga Helenen affecti fuerunt, eodem nos esse debemus erga voluptatem, ad omnémque rationem illorum vox accommodanda est: sic enim dimissa illa & abiecta, minus aberrabimus. Vt ergo rem in pauca conferam, hæc si faciamus, facillimè poterimus & consequi & seruare mediocritate. Arduum hoc profecto, præsertim in rebus singulis. Neque enim facile est explicare oratione, quonam modo, quibus hominibus, quibus de causis, & quandiu sit irascendum. Nos enim interdum homines eos, qui minus succensent quàm deceat, laudamus, clementésque appellamus: interdum iracundos, viros dicimus. Sed qui paulùm aliquid decorum egreditur, non est in vitio. Qui autem longius euagatur, is quoniam minimè latere potest, non caret reprehensione. Atque is qui vituperandus est, quatenus, quantúmque sit, non est facile oratione consequi, nec quicquam eorum quæ sub sensum cadunt: quippe cùm in rebus singulis consistãt hæc omnia, & omne de his rebus sensus sit iudicium. Ergo iam hoc quidem perspicuũ est, perfectum & medium habitum in rebus omnibus esse laudabilem: deflectendúmque esse nunc ad id quod nimium est, nunc ad id quod parum? Sic enim quod rectum perfectúmque sit, id nos facillimè esse consecuturos.

# ARISTOTELIS

## ETHICORVM LIB. III.

**Cap. I.** SED *quoniam virtus in perturbationibus actionibúsque inhæret, ac in iis rebus quæ voluntate ſuſcipiuntur, laudi & vitio locus relinquitur: in non voluntariis, veniæ interdum, etiam miſericordiæ: profectò explicanda vis eſt ratióque earum rerum quæ & voluntate & contra voluntatem fiunt: iis præſertim, qui in virtutis cognitione verſantur. quæ explicatio conditoribus etiam legum ad honores decernendos, conſtituendáſque pœnas vtilis eſt. Sunt igitur ea non voluntaria, quæ vi fiunt, aut imprudẽtia: vi autem id fit, cuius cauſa & principium extrinſecus eiuſmodi adhibetur, ad quod nihil adiumenti adferat is qui illud facit aut patitur: vt ſi quò ventus impulerit, aut potentes homines. At verò quæ metu maiorum malorum, aut honeſti cauſa fiunt, velut ſi quis tyrãnus qui in ſua poteſtate habeat parentes & liberos noſtros, proponat turpe aliquid faciendum, hac lege, vt ſi faciamus, incolumes ſint ac ſalui: ſin minus, interficiantur: vtrum ſponte an inuiti faciamus, magná eſt quæſtio. Eadem eſt etiam ratio iacturarum, quæ fiunt cùm tempeſtates oriuntur. Omnino enim voluntate ſua nemo iaciat: ſalutis autem ſuæ ac cæterorum cauſa, omnes qui quidem ſana mente ſint. Sunt igitur mixtæ huiuſmodi actiones illæ quidem: ſed voluntariis ſimiliores. Animi enim iudicio fiunt tum cùm gerun-*

tur. Atqui finis actionis, temporis conditioni ac rationi attribuitur: voluntaria igitur ac non voluntaria cum agit, dicenda est actio. At sponte facit, quippe in quo principium positum sit commouendarum partium, quæ actionibus eiusmodi perficiendis, quasi instrumenta adhibentur. Quarum autem rerum in quoque sunt posita principia, eas vt agat & non agat, in eo situm est. Sunt igitur hæc talia voluntatis. At non sunt profectò voluntatis omnino: quandoquidem nemo quicquam eorum per se experit. Dantur autem interdum laudi hæc ipsa, cùm homines magnarum ac præstantium rerum causa turpe aliquid aut triste perferunt: sin contra faciant, vituperantur. Quæ enim ipsa fœdissima sunt, ea rei nullius præclaræ & honestæ, aut certè mediocris causa sustinere, est in vitio. Sunt autem quædam, in quibus laudi locus nullus relinquitur, sed veniæ duntaxat: cùm ea quis facit quæ non sunt facienda, iis impulsus malis quæ & humanam naturam longè multúmque superat, & nemo possit sustinere. sunt autem quædam certè partim ita fœda, partim itaq; flagitiosa, nemo vt ad ea impelli iure possit: potiúsque oppetenda mors est grauissimis toleratis cruciatibus. Etenim ridicula videntur ea, quæ ad cædem maternam Alcmæona Euripidis impulerunt. Difficile autem est interdum, quid cui præponedum sit, quidque pro quo perferendum, iudicare. Difficilius etiam est stare in eo quod sit iudicatum. Ferè enim & quæ expectantur, molesta interueniunt, & quæ impellunt, turpia. Hinc laudem & reprehensionem, qui inducti sunt aut non inducti, cõsequuntur. Quæ igitur vi dicenda sunt fieri? An omnino cum

causa extrinsecus est, & qui facit, nihil adiuuat? Quæ autem per se sunt non voluntaria, per occasionem verò & horum causa expetenda, eorúmque in eo qui agit principia inclusa sunt: per se illa quidem & simpliciter non voluntaria sunt: hoc verò tempore, horúmque causa voluntaria, potiúsque accedunt ad voluntariorũ naturã: quippe cùm in rebus singulis, quæ voluntate geruntur actiones factáque versentur. Quid autem cui sit anteponendũ, non est facile exponere. Multæ enim sunt rerum singularũ differentiæ ac dissimilitudines. Quòd si quis iucunda quæ sunt & molesta, violenta dixerit, quòd cùm extra sint, vim adferant & cogant: eadem ratione violenta ei sunt futura omnia. Horum enim causa omnes omnia faciunt. Qui enim vi coacti inuitíque faciunt quippiam, iis illud adfert molestiam: qui verò iucundis rebus incitati malè faciunt, iis voluptatem adfert quod agunt. Ridiculum igitur est ea accusare quæ externa sunt, non seipsum potius, qui à rebus eiusmodi facilè capiatur: réspue præclaras sibi, fœdas & turpes attribuere voluptati. Hoc igitur iam quidem apparet, vi id fieri, cuius principium cùm extra sit, nihil id cui vis infertur, adiuuat. Quod autem fit imprudentia, est omne quidem non voluntarium: at quod inuiti facimus, idem molestum est, & causas affert pœnitentiæ. Nam qui imprudens fecerit quidlibet, nec se id egisse molestè ferat, non fecit ille quidem sponte quod ignorauit: nec rursum intritus, cùm minus ægrè ferat. Eorum igitur qui per imprudentiam aliquid faciunt, is quidem quem facti pœnitet, inuitus: quem non pœnitet, quoniam alius diuersúsque ab illo est, appelletur sanè non volens. quoniam

enim ab altero differt, aptius est habere suũ nomen. Aliud etiam est per imprudentiam facere, aliud imprudentem. Non enim ebriosus & iracundus videtur, quæ facit, errore & imprudentia ductus facere, sed per illa quæ dixi-mus, ebrietatem & iram: nec sciens tamen agit, sed imprudens. Ac ignorant quidē improbi omnes quæ facienda sunt, quæque fugienda: iniustique & omnino mali ex eo errore nascuntur. Nec si quis quod vtile sit, ignoret, quod aget, dicatur statim inuitus agere. Neque enim aut imprudentia & ignorantia ea, quæ ab animo & voluntate suscipitur & proficiscitur, non voluntarij causa est, sed peccati: aut etiam rerum vniuersarum: quadoquidem ea culpatur, sed rerum singularum, in quibus omnis versatur actio. In his enim locus est & veniæ & misericordiæ: quoniam qui eorũ aliquid ignorat, facit inuitus. Sed non alienum est, quæ quótque sint exponere. Videdum igitur, quisnam, quidque agat quisque, & quā in re versetur actio: interdum etiam quo quasi instrumento, cuiusque rei causa, vt salutis: & quo tandem modo, vt remisse, an vehemẽter. Atque hæc quidem omnia nemo ignorare possit, modò ne sit insanus. Perspicuum id quidem est de eo qui agat: quoniam qui se ignorabit ipsum? Quid autem agat, aliquis ignoret, vt cùm sibi aiunt excidisse, aut se nescisse occulta & arcana esse, vt AEschylus mysteria: aut cùm vellet monstrare, misisse telum, vt is qui catapultam: putet etiam aliquis filium hostem esse, vt Merope: & hastam orbicularis figuræ, quæ lanceæ in formam directa sit: & lapidem esse pumicem, & vt interficiat qui salutis causa ferit: & qui docere velit, verberet, vt faciunt ij qui ex-

*tremis manibus luctantur. Cùm igitur in his omnibus error & imprudentia versetur, in quibus actio: cùm is qui eorum aliquid ignorabit, fecisse vidèbitur inuitus, tum qui eorum ignarus erit quæ principatum obtinent. Principatum autem tenent, finis, & in quibus cernitur actio. Et quãquam id quod proficiscitur ex illa ignoratione & imprudentia, non voluntarium omne nominetur: tamen debet esse præterea molesta actio, & pœnitentiæ plena. Quoniã igitur id est non voluntarium, quod vi fit & imprudentia: voluntarium esse videatur, id cuius in se principium continet is, qui scit res singulas, in quibus actio versetur. Profectò enim non rectè dicuntur abfmutis fieri ea quæ vel ira fiunt, vel cupiditate. Primùm enim nullum aliud animal, neque puer, sponte faciet. Deinde quæro, vtrum nihil omnino eorum quæ ira vel cupiditate impulsi facimus, sponte ac voluntate nostra facimus? an vero honesta quæ sunt, voluntate: quæ turpia, inuiti? an non id ridiculum sit, cùm præsertim vna sit eorum causa? Absurdum verò sit non voluntaria dicere ea, quorum teneri cupiditate decet. Atqui decet, & commoueri quibusdam in rebus, & nonnullarum duci cupiditate: vt valetudinis, atque doctrinæ. Satis etiam constat, ea molestiã afferre omnia, quæ inuiti facimus: quæ verò cupidè & studiosè, oblectationem habent. Iam verò in quo tandem erit discrimen, vt non eadem ratione dicantur non voluntaria ea in quibus animi iudicio, quàm ea in quibus per iram peccatur? Vtraque enim fugienda sunt: nec minus videntur esse hominis propriæ, quæ sine ratione sunt perturbationes, súntque actiones hominis quæ vel ab ira, vel à cupiditate pro-*

*ficiſcuntur. Atqui illas abſurdũ eſt in nõ voluntariis ponere.*

EXPOSITIS *iis quæ & voluntate, & inuiti ho-* Cap. 2.
*mines faciunt, ſequitur vt de conſilio ſeu electione dicendũ*
*eſſe videatur. Nam & virtuti cõiuncta eſt maximè, &*
*mores quales ſint, magis quàm ipſæ actiones ipſa indicare*
*videtur. Electio igitur eſt illa quidem voluntaria, ſed ta-*
*men non idem quod voluntarium, idque adeo, quod vo-*
*luntarium eſt, patet latius. Eius enim quod ſponte fit, &*
*pueri ſunt & belluæ participes: conſilij non ſunt, nec ele-*
*ctionis. Nec mihi quidem rectè videntur dicere ij, qui cõ-*
*ſilium ſeu electionem vel cupiditatem aiunt eſſe, vel iram,*
*vel voluntatem, vel quandam opinionem. Non enim*
*communis eorum etiam electio eſt, quæ ſunt contra ratio-*
*nis: cupiditas & ira ſunt. & impotentes cupiditate, non*
*ratione aut conſilio ducuntur ad agendum: contraque cõ-*
*tinentes iudicio & ratione, nõ cupiditate ac libidine. Præ-*
*terea conſilio contraria cupiditas eſt, cupiditati cupiditas*
*non eſt. Cupiditas etiam voluptatis eſt, & ægritudinis:*
*conſilium nec voluptatis, nec ægritudinis. Multo enim*
*minus ira, quoniam minimè videntur quæ per iram fiunt,*
*conſultò fieri. Nec voluntas quidem, etiam ſi ad eam pro-*
*ximè accedere videatur. Inſtitutum enim ac conſilium non*
*eſt eorum quæ fieri nequeunt: quòd ſi quis hæc ſe eligere*
*dicat, inſanus eſſe videatur. At voluntas in iis etiam quæ*
*fieri non poſſunt, vt in immortalitate, verſatur. Et vo-*
*luntas in iis etiam cernitur, quæ non ſtatuat agere qui illa*
*vult: vt aliquis vult hiſtrionem quendã athletámque vin-*
*cere. At nemo hæc talia eligere dicitur, ſed ea omnia, quæ*
*à ſe putat poſſe adminiſtrari, quæque ipſe agenda ſuſcipit.*

*Iam verò finem potius ſpectat voluntas: conſilium & ſuſceptio ea quæ ad finem pertinent. Vt valere volumus, deligimus autem quibus valetudinem adipiſcamur. Et beati eſſe omnes volumus, idque prædicamus: at ſi illud nos deligere dicamus, ineptè loquamur. Omnino enim in rebus iis verſatur conſilium, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Nec opinio quidem certè eſſe poſſit, quoniam in rebus omnibus cernitur opinio; nec minus æternis, & quæ fieri non poſſunt, quàm iis quæ in nobis ſitæ ſunt. Præterea in falſam ac veram diuiditur opinio, non in malam & bonam: in quibus inſtitutum & conſilium potius cernitur. Non igitur idem eſt quod opinio omnino, nec id fortè quiſquam aſſerit. Nec verò idem eſt quod quædam opinio. Ex bonorum enim vel malorum electione tales, hoc eſt boni vel mali dicimur: ex opinione non dicimur. Et conſtituimus vel aſſequi vel declinare: & ſi qua ſunt eius generis. At quid quicque ſit, quámque ad rem conducat, & quemadmodum conducat, exiſtimamus: aſſequendum autem aliquid, aut vitandum, non admodum opinamur. Præterea inſtitutum laudatur, quòd ſit eius rei quæ magis honeſta eſt, vel quòd rectum ſit: at opinio, quòd ſit vera. Atque ea deligimus, quæ ſcimus optima: ea opinamur, quæ non certò ſcimus. Nec iidem videntur eligere & opinari, quæ ſunt optima: nonnullique ſunt qui optimè ſentiant, ſed victi cupiditatibus & vitiis, quæ mala ſunt, ſequuntur. Nec verò, quòd antecedat opinio ac iudiciũ electionem, aut conſequatur, quicquã intereſt: non enim id agimus, ſed vtrum ſit idem quod aliqua opinio. Quid igitur, aut quale eſt inſtitutum & conſilium, quandoquidem*

*in nullo est superiorum? Ac illud quidem apparet, ex genere voluntariorum esse: nec tamen quicquid voluntarium est, id omne etiam deligendum est, sed cùm antegressa est deliberatio. Nam cum ratione & mente coniunctum omne consilium est, id quod etiam nomen significat: dictum est enim* πρόκριτον *quasi* πρὸ ἑτέρων αἱρετόν.

SED *illud hoc loco quærendũ est, vtrũ in deliberationẽ cadant omnia: an de quibusdam non capiatur consiliũ. Cui quæstioni sanè respondendũ est, cadere in deliberationem, nõ ea de quibus stultus aliquis vel insanus deliberet, sed de quibus solent ij qui sana mente sint. Sed de rebus aeternis nemo consultat, vt de mundo, de diametri, lateríque dimetiendi ratione. nec de iis quidem, quæ motu illa quidẽ cõtinentur, sed quæ semper eodẽ modo eueniunt, siue necessitate, siue natura, aut alia aliqua causa, cuiusmodi sunt solis conuersiones, & ortus. Eodem modo de iis iudicandum est, quæ aliàs aliter eueniunt: in quo sunt genere siccitates, & imbres. Nec verò ea in deliberationem cadunt, quæ casibus fortunæ subiecta sunt, qualis est thesauri inuentio. At ne res quidem omnes quæ naturam attingunt humanam, cadunt in deliberationẽ. Neque enim quemadmodũ optimè Remp. Scythæ administrare possint, Lacedæmonij deliberant: nihil enim eorum per nos fieri potest. At de iis consilium capimus quæ sunt in nostra potestate vt eueniant, quoniã illa sola reliqua sunt. Nam præter istas causas, naturam, necessitatem, fortunam, nulla est alia causa præter mentem & alios effectus, quibus ad agendum homines impelluntur. Singuli autem homines de iis deliberant, quæ per se ipsi efficere possunt. Nec verò de artibus ac* Cap. 3.

scientiis iis quæ certæ sunt, & se ipsæ contentæ, vllũ consilium capitur: quales sunt literæ, quæ quonam modo scribendæ sint, minimè dubitamus. Sed quæ à nobis effici possunt, non autem semper eodem modo, ea demum cadunt in deliberationẽ: vt ea quæ medicina, nummulariorũ, & gubernatoris artes tractant potius, quàm quæ gymnastice, quominus certæ sunt. Similis est ratio cæterarũ. Sed sæpius in deliberationem cadunt ea quæ ab artibus, quàm quæ à scientiis proficiscuntur: propterea quòd magis ea veniunt nobis in dubium. Consilij autem capiendi deliberatio partim in iis rebus cernitur, quæ plerunque eueniunt, cùm incertum sit, quàm in partem inclinare ac euenire debeant: partim in iis quæ infinitæ incertæque sunt. Ad res autem magnas eligendas, homines in consilium adhibemus nobis ipsi diffisi, quasi minus ad statuendum simus idonei. Deliberamus autẽ non de finibus, sed de iis quæ ad fines pertinent. Neque enim aut medicus an curet, consultat: aut orator, an persuadeat: vel ciuilis officij peritus, an legibus bene institutã ciuitatem faciat: vel alij artifices de eo quem sibi proposuere finem: sed omnes propositum sibi finem, quemadmodum, & quibus rebus assequantur, inquirunt. Quòd si compluribus ad eum rationibus perueniri posse constet, tum qua facillimè, & optimè possit, inuestigant. Sin vna via perfici queat, quemadmodum per hanc assequantur, considerant: ad illámque per quam perueniant, idque eousque persequuntur, dum ad primam causam ventum sit, quæ in inueniendo postrema est. Nam qui capit consilium, is inquirere, ac retexere eodem modo solet, quo Geometræ in suis demonstrationibus conficiendis. Illud autem appa-

ret, non omnem quæstionem esse deliberationem, cuiusmodi sunt mathematicorum quæstiones: deliberationem verò omnem esse quæstionem: etiam illud apparet, quòd in retexendo postremum est, id primum esse in agendo. Quòd si in tale aliquid inciderint, quod fieri nequeat, veluti, si pecuniis sit opus, nec possint alicunde suppetere, tum à re proposita se abstrahunt: sin autem fieri posse constiterit, tum omnes neruos intendunt, vt efficiant. Atqui ea fieri possunt, quæ à nobis possunt effici. Nam quæ amicorum opera fiunt, per nos fiunt quodammodo, quia principium in nobis situm est. Quæruntur autem aliàs instrumenta, aliàs vsus eorum, itémque in reliquis: interdum qua tandem re, aut quibus, aliquando qua ratione res confici queat. Atque homo videtur, quemadmodum dixi, principium esse actionum: consilium autem in iis versari, quæ ab eo agi possunt. At actiones aliorum causa sunt, alióque referuntur. Nunquam igitur cadet in deliberationem finis, sed ea duntaxat quæ ad fines pertinent atque conducunt: nec res singulæ quidem, vt sitne hoc panis, & vtrum rectè concoctus, an confectus sit, nécne: quoniam hæc cadunt sub sensum omnia: de quibus si semper deliberandum esset, res ad extrum perduci non posset. Quod autem in deliberationem cadit, & in delectum, eadem sunt: nisi quòd iam statutum ac definitum est, id quod sub delectum cadit. Quod enim de consilio statutum iudicatúmque est, id demum eligendum dicitur. Tum enim quisque desinit, quemadmodum quicque gerat exquirere, cùm principiũ ad se retulerit, atque ad eam animi sui partem, quæ tenet principatũ: hæc enim pars est quæ deligit.

*Quod ex veteribus etiam rebus publicis, quas Homerus imitatus est, potest perspici. Quæ enim reges suscepissent, de iis ad populũ referebãt. Quoniam autem id quod sub delectum cadit, est quod per deliberationem expetendum esse constitutũ est, in iis quæ in nostra sunt potestate: profecto electio sit necesse est, appetitio eorũ quæ in nostra sunt potestate, cùm antegressa est deliberatio. Iudicio enim ad deliberationẽ quæ antecessit adhibito, tũ sequi consiliũ cupimus. Ac propositũ quidẽ quid sit, quibúsque in rebus versetur, in iis scilicet, quæ ad fines spectant, planè dictum est.*

CAP. 4. VOLVNTATEM *autem in fine versari diximus: sed aliis in eo versari videtur quod verè bonum sit: aliis in eo quod bonum videatur. Atqui consequens est, vt qui quod sub voluntatem cadit, bonum esse dicant, etiam fateantur non cadere sub voluntatem id, quod is velit, qui minus rectè approbat. Si enim voluntate appetatur, bonum etiam sit necesse est. At erat fortasse malum. Qui autem aiunt quod sub voluntatẽ cadit, esse id quod bonũ videatur, eos necesse est fateri nihil sub voluntatem cadere natura, sed quod cuique visum sit. Atqui aliud alij, & si ita res ferat, etiam contraria videntur. Quæ si minus probantur, hoc certè confitendum est, omnino ac reuera id quod bonum sit, sub voluntatem cadere: quod verò ad hos vel illos attinet, quod cuique videatur. Ac viro quidem bono id bonum, quod verè bonum est: improbo quod occurrit, videtur. Et corporibus probè affectis, salubria sunt ea quæ reuera sunt eiusmodi, quæ autem in morbis sunt, alia: itémque & amara, & dulcia, & calida, & grauia, & cætera omnia. Nam & verè de omnibus vir bonus iudicat, &*

facilè quid in re quaque veri sit, perspicit. Propria est enim sua cuiusque habitus & honestas & voluptas, excellitque vir bonus plurimũ in perspiciendo quid in quaque re veri sit, quasi rerum omnium mẽsura & norma. At uerò animis multitudinis à voluptate tenduntur insidiæ: quippe cùm nec bona sit, & tamen esse videatur. Itaque plerique voluptatem appetunt, vt bonũ: dolorem aspernantur, vt malũ.

QVONIAM autẽ quod sub voluptatẽ cadit, finis est: quæ vero in deliberationem & delectum cadunt, ea in iis cernuntur quæ ad finem ferunt: efficitur, vt actiones quæ in illis versantur, omnes iudicio suscipiantur, omnésque sint voluntariæ. Atque in iis versantur virtutis actiones. Virtus autem ipsa, itémque vitium, in nostra sunt potestate.. Quas enim res in nobis situm est vt agamus, eas etiam in nobis situm est vt ne agamus: quásque res in nobis situm est vt non agamus, easdem vt agamus in nostra est potestate, Ita si in nobis est agere quippiã, cùm id honestum sit, & non agere erit in nobis, quod turpe erit. Et si in nobis situm est, non agere quippiam, cùm id nõ agere sit honestum, erit quoque in nobis situm id agere, quod turpe erit. Quòd si in nobis situm est, vt honesta quæ sunt, & turpia faciamus, eodémque modo vt ne agamus. Hoc autem est bonos & malos esse, certè probi, improbíue simus, est id in nobis. At verò dicere sua sponte ac voluntate improbum effici neminem, nec beatum inuitũ: illud, falsum: hoc, verum videatur. Nam & nemo est beatorum inuitus, & vitiũ voluntatis est. Alioqui ea quæ à nobis paulò antè posita sunt, in controuersiã vocare oportebit: negandúsque homo erit, author esse & procreator actionum, quasi libe-

e.i.

rorum. Quæ si perspicua sunt, neque ea possumus ad alia referre principia, nisi ad ea quæ in nobis sita sunt: hoc certè confitendum est. Quarũ rerum in nobis sita sunt principia, eas in nostra esse potestate, nostræque esse voluntatis. Testes huius rei sunt, & priuatim singuli, & publicè legislatores, qui sumunt supplicium de iis omnibus qui flagitia admittunt, nec vi, nec imprudentia, quæ non ipsorum culpa euenerit: honores autem decernunt iis, qui præclara facinora faciunt, vt illos deterreant, hos adhortentur. At qui nemo quenquam ad ea omnia gerenda hortatur, quæ nec sunt in nostra potestate, nec sunt nostræ voluntatis: vt nihil attinet inducere aliquẽ, vt vel caleat, vel doleat, vel esuriat, aut aliud quiduis eiusdem generis patiatur, quia nihilominus ea perferet. Etenim erroris & imprudentiæ causa in eo vindicatur, qui sua culpa nescierit, vt in vinolentos duplex pœna constituta est: propterea quòd principium in eis situm sit. Est enim in eis situm, vt ne vino obruantur: quod quidem causa est imprudentiæ. Quinetiam eos puniunt qui aliquid ignorant, eorum quæ legibus cõtinentur, quæ ipsa & cognosci debent, nec sunt difficilia: itémque in cæteris, si qui negligentia impediti aliquid videntur ignorare quod in iis situm erat, vt ne ignorarent: quandoquidem in eorum erat potestate, vt darent operam. Quanquam aliqui certè sunt eiusmodi, vt ne dent operam vt sciant: eorúmque culpa accidit, vt tales fierent, dũ mollius viuunt & dissolutius: itémque vt iniusti & intemperantes essent illi, dum fraude & dolo agunt: hi dum degũt vitam in compotationibus aliisque generis eiusdem. Namque in quaq; re opera ponitur, tales homines efficit. Quod

ex iis facilè perſpici poteſt, qui ad quoduis certamen, vel officium & actionem ſe comparant: ſemper enim id agunt. Hoc ergo ignorare, ex eo, quòd quiſque in re quaque operã ponat, igni habitus, hominis eſt ab omni ſenſu procul abhorrentis. Hoc etiam alienũ abſurdúmque ſit, eum qui facit iniuriam, nolle iniuſtum effici: & qui intemperatè viuat, intemperantem. Atqui ſi quis non imprudes, gerit ea, ex quibus iniuſtus neceſſariò fiet, profectò voluntate ſua efficitur iniuſtus. Nec tamẽ ſi velit quidem, cohibere ſe poſſit, aut iniuſtus eſſe deſinat, fiátque iuſtus: quoniam ne ægrotus quidem, valens & incolumis cùm velit, etiam ſi ita acciderit, vt ſponte ac voluntate ſua ægrotaret: quia & libidinoſe viueret, nec medicis crederet. Ac tum illi quidem licebat morbum declinare: at poſteaquam ſe præcipitauerit, & proiecerit in morbum, iam non licet. Vt is qui lapidem iaculatus eſt, non poteſt iam reuocare, nec ſuſtinere iactum, quanquam eſſet antea in eius poteſtate, ne iacularetur, cùm in ipſo ſitum eſſet principium: ſic iniuſtis ac libidinoſis initio ab his vitiis declinare licuit, propterea quòd in eorum erant poteſtate: at poſteaquam eiuſmodi extiterunt, iam nõ licet. Nec verò animi ſolùm, ſed in nõnullis, corporis etiam vitia iudicio ac voluntate ſuſcipiuntur, iis quos culpamus. Nam quæ à natura hominibus tributæ ſunt deformitates, eas nemo vituperat: at quæ incuria & negligentia ſuſcipiuntur, omnes dantur vitio. Eadem eſt infirmitatis ratio, deformitatis, & debilitationis membrorum. Nemo enim cæcitatem ei qui à natura priuatus eſt oculis, aut morbo, aut vulnere, vt probrum obiicit, ſed miſericordia potius commouetur: cui

autem ex vinolentia, aut alio intemperantia hoc euenerit, is culpatur ab omnibus. Quæ ergo vitia corporis in nostra sunt potestate, culpantur: quæ non sunt, non item. Quòd si ita est, in cæteris etiam omnibus quæ crimini dantur vitia, ea in nostra sint potestate, necesse est. Quòd si quis dixerit, omnes sequi ea quæ bona esse videãtur: illam autem æstimationem ac iudicium non in eorum esse potestate, sed qualis quisque sit, ei talem finem videri: huic respondeo, si sibi quisque gignendi habitus causa est quodammodo, profectò & cur ita iudicet eundem sibi causam esse. Sin nemo sua culpa, prauaque quæ sunt & flagitiosa facit, sed ignarus finis existimãs iis se beatum futurum: finisque appetitio non est illa quidem planè nostri consilij, sed ita facti omnes institutique esse debent à natura, vt quasi aspectum quendam habeant, quo verè iudicabunt, atque id quod verè bonum est sequentur. Atque is demum bene natus, & bene animo constitutus, cui hoc munus à natura est datum. (Est enim hoc & maximum & præstantissimum, quódque nemo nec accipere ab alio possit, nec discere: sed qualecunque à natura cuique tribuitur, tale obtinebit. Cuius si summa & excellens quædam à natura concessa sit facultas, ea demum perfecta, veráque sit indoles necesse est.) Si hæc, inquam, vera sunt, cur virtus potius quàm vitium voluntatis erit? cùm præsertim vtriusque & bonis & malis finis eodem modo, vel natura, vel quomodocunque videatur atque obijciatur: cæterà verò eò omnia referãt, itaque agant quomodocunque. Siue igitur finis non natura qualiscunque cuique videtur, sed aliquid etiam est in ipso: siue finis naturalis est,

ob eámque causam virtus voluntaria est, quòd vir bonus voluntate ac sponte cætera gerat omnia: profectò vitium nihilominus futurum est voluntarium. Improbus enim eadem ratione inest, & in actionibus, & in fine facultas per seipsum, & authore se agendi. ~~Quod [illegible] voluntaria sunt. Vt dicitur, quod causas actionum habet in nobis, quódque quales sumus, talem etiam finem ponimus: profecta vitio quoque nostro voluntario necesse est suscipi.~~ Eadem enim ratio est. Ac ea quidem quæ communia erant virtutum omnium, quódque earum esset genus, plane diximus. Nam & mediocritates eas esse & habitus docuimus, & à quibus gignantur, easdémque eorum à quibus nascantur esse effectrices, idque per se: ~~eas etiam in nostra esse potestate tradidimus, iudicióque nostro ac voluntate suscipi, atque ita, vt recta ratio præscripserit.~~ Nec verò sunt actiones volũtariæ & habitus eodem modo. Nam à principio ad finem in nobis sitæ sunt actiones, quòd rerum singularum teneamus scientiam: habituum verò solùm ab initio. Rerum verò singularum minus est nota accessio, vt in ægrotationibus contingit. Sed quoniam sic secúsue iis vtamur, id in nobis erat, idcirco dicuntur esse voluntatis. De singulis autem nunc velut ab initio quæ sint, quibúsque in rebus, & quemadmodum versentur, disseremus. Nam vna eadémque opera quot sint, facilè intelligetur.

AC primùm de fortitudine, quam modum audaciæ ac formidini adhibere, anteà diximus: planum enim factũ est. Timemus autem ea omnia quæ molestiam terrorémque adferunt: quæ eadem, vt semel dicam, mala sunt. Itaque metum definiunt, mali expectationem. Ea igitur metuimus Cap. 6.

*omnia quæ mala ſunt, vt dedecus, vt paupertatem, vt morbum, amicorum penuriam, mortem: ſed tamen non in his omnibus fortis cernitur. Sunt enim quædam pertimeſcẽda, idque præclarum eſt, quæ eadem turpe ſit non timere, vt dedecus. Nam qui ea metuat, is probus & pudens: qui nõ extimeſcat, impudens iudicandus eſt. Quãquam is à nonnullis fortis nominatur, tranſlationis vſurpatione, quoniam ſimile quiddam fortis habeat: vacat enim metu vir fortis. Nec verò paupertas horribilis eſt aut pertimeſcenda: nec morbus, nec omnino quicquam in quo nulla ſit culpa noſtra, & quæ præſtare non poſſimus. Nec ſi quis in his ſe interritum præſtiterit, is continuò fortis habẽdus eſt. Quanquam eum etiam ſimilitudine quadam fortem dicimus. Sunt enim, qui in bellicis periculis ignaui ſunt ac timidi: ijdem liberales, & ad iacturam pecuniarum faciendam paratiſſimi. Nec ſi quis vim liberis & vxori timeat, vel inuidiam, aut ſi quid eſt eiuſdem generis, ignauus ac timidus putandus eſt: nec fortis is, qui fidenti ſit animotum, cùm virgis cæſum ſe iri videat. Quibus ergo in rebus metuendis fortis cernitur? an in maximis? Neque enim viro forti quiſquam maiore æquioréque animo terribilia perferre poteſt. Omnium autem rerum nihil morte terribilius, nihil acerbius: præſertim cùm omniũ rerum ſit extremum, & vltra iam nullo in malo aut bono videãtur eſſe mortui. Nec verò in omni genere mortis vir fortis cernitur, vt ſi quis in mari pereat, vel morbo intereat. Quo ergo in genere? an non in pulcherrimo? qualis eſt ea quæ in bello euenit: quippe quæ in maximo pulcherrimóque periculo oppetatur. Hoc indicant honores, qui & in*

*rebus publicis & apud reges decreti sunt iis, qui in bello fortiter pugnantes occubuerint. Quocirca propriè ac verè fortis videtur is, qui morte honesta proposita, iisque omnibus quæ mortem adferunt, cùm repentè appropinquant, metu vacat. Cuiusmodi sunt maximè, quæ in bello versantur. Attamen & in mari, & in morbis vir fortis vacuus est ille quidem à metu, sed non more nautarũ. Fortes enim & de salute sua desperant, & genus hoc mortis acerbè ferunt: illos fidenti esse animo docuit exercitatio. Sunt etiam forti magnóque animo, cùm aut viribus locus est, aut pulchrum exire de vita: quorum neutrum in his generibus interitus contingit.*

NEC verò eadem sunt formidolosa omnibus, éstque aliquid quod præstare homo nõ possit, quod omnes profecto qui sani sunt, mente pertimescent. Quæ autem homo præstare potest, ea magnitudine differunt: aliáque grauiora sunt, alia leuiora: similitérque ea omnia quæ præbent animis nostris fiduciã. Quibus in rebus vir fortis, etsi terrore vacat, quantum hominis natura patitur, tamẽ hæc ipsa vt decet, vtque ratio postulabit, pertimescet: idque honestatis causa, quoniam is est virtuti propositus finis. Fieri autem potest, vt eadem quis & nimium & parum metuat: etiam vt quæ non sunt pertimescenda, æquè ac illa timeat. Hinc peccata nascuntur: aliud, quòd timeatur id quod timendũ non est: aliud, quòd non timeatur quemadmodum timendum est: aliud, quòd non metuatur aliquid tum cùm metui debet: & si qua sunt generis eiusdem. Itémque in iis omnibus quæ animum nobis fiduciámque præbẽt. Qui ergo quæ cuiusque rei causa, & quemadmodum, decet, perfert,

*extimescitque omnia, quique fidenti animo, is fortis habendus est: pro rerum enim dignitate, & quando rectum est, & vt ratio percipit, vir fortis & fert & gerit omnia. Omnis autem actionis & officij finis est id quod cum ipso animi habitu coniunctum est. At forti viro, fortitudo honesta videtur. Est igitur ei finis propositus eiusmodi: quo enim quæque actio conscribitur termino, is est finis habitus. Honestatis verò causa magno fortique animo vir fert, facitque ea quæ subiecta sunt fortitudini. Ex iis verò qui modum transeunt, qui vacuitate quadam metus exuperat, vacat nomine. Esse autem multos qui nomine vacarent, suprà ostendimus. Quòd si nomen fingere placet, appellentur sanè insani, vel stolidus, si modò nihil metuat, neque motum terræ, neque vndas, quales aiunt esse Gallos. Qui autem nimis confidit iis rebus quæ terrorem afferunt, audax nominatur. Atque etiam arrogans, audax videtur esse, sibique fortitudinem vendicare. Itaque quo ille animo in rebus asperis est, eodem hic cupit videri: quocirca quibuscunque rebus potest, eum imitatur. Ita fit, vt plerique eorum ita audaces sint, vt etiam ignaui simul sint, θρασυδείλους vno verbo Græci vocant: cùm enim in his audaciam præ se ferant, tamen nunquam res formidolosas subeunt. At qui metuendo modum egreditur, is ignauus timidúsque appellatur. Nam & quæ metuenda non sunt, quẽadmodum non sunt, quæque sunt eiusdem generis, omnia eum consequuntur: deficit etiam in confidendo, sed tamen modũ transire & exuperare, in iis omnino quæ dolorem afferũt potius videtur, sed quoniam ægritudine modũ transit, magis apparet. Desperat ergo ac diffidit ignauus omnis, quo-*

niam omnia pertimescit: at fortis contrà: est enim fidentis animi audere. Ac in his quidem rebus omnibus timidus, audax, & fortis, illi quidem versantur, sed non eodē modo affecti sunt: illi enim transeunt modum, & ab eo deficiūt: at hic modū in iis tenet, eum etiam quem ratio præscripserit. Atque audaces quidē temeritate prouecti, antè cupiūt adire pericula, quàm instant: cùm adsunt, ea defugiunt. At fortes in ipsis rebus acres sunt & prompti, ante verò quieti ac remissi. Quapropter, vt dixi, fortitudo mediocritas est earū rerum quæ hominibus vel fiduciam præbent, vel terrorē afferūt, quibus in rebus ostendimus, quæ eadē sequitur actolerat, quia honestū est ea & sequi & perpeti: aut certè quia turpe est cōtrarium. Mortē autē sibi ipsi cōscisce re, fugientē vel inopiā, uel amorem, vel molestiā, fortis animi magniq; nō est, sed angusti potius & timidi. Nā quæ laborem solicitudinémq; desyderāt, ea fugere, nec quia honestū est, id ferre: sed eò fugere nē malū habeas, mollis animi est atque effœminati. Ac fortitudo quidē ex eo genere est.

EIVS autem alia quinque genera traduntur. Primum genus est eius quæ ciuilis dicitur; cùm ad illam proximè accedere videatur. Excitātur enim ad subeūda pericula ciues & pœnis, & probris, & honoribus, qui decreti sunt legibus: ob eámque causam apud eos fortissimi existunt maximè, apud quos ignaui sunt inglorij: fortes honorati. Quales Homerus facit Diomedem & Hectorem. Cap. 8

» Polydamas fœdum primus mihi crimen inuret.

Et Diomedes,

» Inter enim dicet Troes fortissimus Hector,

» Titydes metuens puppes euasit ad ipsas.

*Hæc autẽ ſimillima videtur ei, de qua ſuprà diſſerui, quòd à virtute naſcitur. Nam à pudore & honeſtatis cupiditate proficiſcitur, quoniam honoris ſtudio, probríque fuga, quod eſt turpe, comparatur. Eorum autem in numerũ adſcribere licet eos, quibus ij vim inferunt, quorũ ſunt in imperio & poteſtate. Sed ſunt hi quàm illi deteriores, quòd non pudore, ſed metu inducti id faciunt: nec turpitudinis fuga, ſed moleſtiæ. Cogunt enim principes, vt Hector,*

» *Quem procul à pugna labentem fortè videbo,*
» *Ille canum fiet, fiet quoque vulturis eſca.*

*Et qui imperant, ſi diſcedant illi, verberant. Idem faciũt ij qui ante muros, foſſas, & alia eiuſdem generis, ſuos ad pugnam inſtruunt: cogunt enim hi omnes. Sed par eſt, quia honeſtũ eſt fortem eſſe, non vi aut neceſſitate. Atque etiam omnis in quaque re experientia, nomen fortitudinis videtur obtinere. Itaque fortitudinem ſcientiam eſſe putabat Socrates. Ac exercitati quidem alij ſunt in aliis rebus, vt in bellicis milites. Noua enim in bello permulta fiunt, quæ hi antè animaduerterunt. Quocirca fortes videntur eſſe propterea, quòd alij quæ illa ſint, non intelligant. Inde omnia facere, nihil pati, cauere ictus, & ferire cõſuetudine docti, vſu etiam armorum valent. His denique inſtructi ſunt omnibus quæ ad id valent vt nocere poſſint aliis, & ipſi ſe tutos præſtare. Pugnant igitur quaſi armati cum inermibus, & quaſi athletæ cum iis qui in gymnaſio nunquam depugnarint. His enim in certaminibus nõ fortiſſimo quiſque & maximo animo maximè ad pugnãdũ aptus eſt, ſed qui plurimũ valet viribus, optiméq; affectus corpore eſt. At verò milites tum ignaui demũ timidíque exiſtũt,*

*cùm periculũ impẽdet, inferioréſque ſunt & copiis & apparatu. Primi enim fuga elabũtur: at vrbanæ copiæ ſtãtes in acie decũbunt. Id quod apud Hermæum in oppido Bœotiæ Corona euenit. Nam & fuga turpis his erat, & mors tali ſaluti anteponẽda. Se autem illi initio pugnæ periculis obiiciebãt, quaſi ſuperiores eſſẽt: at cognito periculo, fuga elapſi ſunt, quòd mortem magis quàm de decus pertimeſcerent. Qualis nõ ſolet eſſe vir fortis. Iram etiã ad fortitudinem transferunt, propterea quòd fortes videntur ij etiam qui ira incitati, tanquàm belluæ toto impetu in eos ferũtur, qui vulnerarint: quoniam fortes iracundiores eſſe ſoleant: Eſt enim maximus ad ſubeunda pericula aculeus, iracundia. Hinc Homerus, Furor arma miniſtrat: &, Animúmque citauit : &, Ingens per nares vis: &, Sanguis efferbuit . Hæc enim omnia ſignificare videntur concitationem animi ac impetum. Ac fortes quidem honeſtatis cauſa gerunt omnia, eiſque ira ſubſidio eſt. Belluæ autem ægritudine ac dolore incitatæ, quòd vel vulnus acceperint, vel ne accipiant, extimeſcant: nam ſi ſint in ſuis luſtris, haud in quenquam impetum faciunt . Non igitur fortitudo eſt, dolore ac ira incitatum adire pericula, nihil eorum quæ moleſta & aſpera interueniunt , prouidentem. Nam iſto modo quidem licet dicere fortes aſinos, cùm eſuriunt, quòd ne verberibus quidem deterrentur à paſtu. Quinetiam adulteri cupiditatis cauſa multa faciunt audacius. Non igitur quidem virtutis eſt, dolore vel ira ad pericula impelli. Videtur autem naturã attingere ea maximè quæ ab ira ducitur: ~~quæ ſi iudicium [illegible] habeat, vera fortitudinis nomẽ poſſit laudémque obtinere.~~*

*Homines etiam tum cùm ira cõmouentur, dolent: cùm sumunt supplicium, séque vlciscuntur, gaudent. Atque ex his rebus, bellicosi nominantur: fortes, non item. Neque enim honestate, vel ratione, sed perturbatione ducuntur. Simile quiddam in illis est, qui eò quòd bona spe sustinentur, ad subeundum periculũ incitantur, nec tamen fortes habendi sunt: quippe cùm propterea in periculis audaces sint, quòd sæpe ac permultos vicerint. Similes autem sunt, quòd vtriqui audaces: sed tamen fortes ob eas causas, quas dixi, audaces sunt: illi, quia se sperant fore superiores, nihilq; vicissim esse passuros. Atque tale quippiam etiam ebrij faciunt, quòd sint fidenti animo præditi. Quòd si excidãt ea qua fouebantur spe, tum fugiunt. At fortis erat, quæ acerba homini sunt & talia se offerunt, ea ob eam causam ferre, quia & honestũ sit: & nõ ferre, turpe videatur. Itaque fortis videtur esse, in subitis repentinísque terroribus & casibus omni animi perturbatione & metu vacare potius quàm in prouisis, quòd ea magis ab animi habitu proficiscãtur, sintque minus præparata. Ná quæ prouisa sunt & præmeditata, cõsilio etiã & ratione quiuis approbare ac sequi possit. At in repentinis virtutẽ ostẽdere, animi est suo quodã habitu cõfirmati. Atque etiã fortes habentur ij, qui ignoratione ducũtur ad agendũ: nec procul ab iis absunt, qui spe ac fiducia freti faciunt quippiã: sed tamẽ hoc sunt deteriores, quòd nihil sciẽtiæ in ipsis inclusum est, in illis autẽ est. Itaque illi aliquãdiu permanent in sentẽtia. Qui autem falsi sunt & decepti, si semel rem aliam esse atque suspicati erãt, intelligant, fugiunt. Quod Argiuis euenit, qui in Lacedæmonios, quos Sicyonios putabãt, inciderunt.*

*Ac fortes quidē qui verè sint, quique videātur iā diximus.*

FORTITVDO *autem cùm in audacia metúque* Cap. 8.
*versetur, non tamen æquè in iis, sed in rebus formidolosis magis cernitur. Nam qui his in rebus animi perturbatione vacat, quique in eis ita est affectus animo, vt decet, is potius fortis est, quàm qui talem se iis in rebus præbet, quæ fiduciam adferunt. Fortes igitur ex eo, vt dixi, nominantur, quòd ea quæ acerba sunt & videntur, forti magnóque animo perferant. Itaque cum molestia coniuncta est fortitudo, eáque iure laudatur. Difficilius est enim res periculorum molestiæque plenas ferre, quàm se ab iis quæ voluptatem afferunt, abstinere. Sed tamen fortitudinis finis iucundus est, & si propter eas res, quæ circunfusæ sunt, minus appareat: Vt in iis ludis qui gymnici appellantur, contingit. Nam pugilibus, quem sibi quisque proposuit, finis dulcis iucundúsque est, vt corona, vt honores: at plagæ & vulnera, quoniam ipsi ex carne constant, omníque labor durus est ac molestus. Quæ quoniam multa sunt, finis autem exiguus & paruus, in eo nihil inesse voluptatis videtur. Similiter in fortitudine, mors, & vulnera aspera, & odiosa forti viro, velit nolit, futura sunt. Attamen ea omnia forti magnóque animo subit, quia pulchrum est, aut certè, quia non subire turpe sit. Atqui idem quò maioribus virtutibus omnibus instructus ornatúsque est, quóque beatior, eò molestius mortem acerbiúsque perferet. Nam cùm is sit, qui vita diutissima sit dignissimus, sciens & prudēs maximis bonis ornamentíque spoliatur. Quod & si asperum molestúmque est, tamen in his fortis excelsusque animus apparet: eóque magis, quòd in bello his omnibus ta-*

libus decus ipſe, & gloriam anteponat. ~~Non igitur virtutum omnium iucundæ ſunt actiones, niſi quatenus finis copulatus coniunctúſque adſciſcitur.~~ Nihil autem prohibet, milites eſſe clariſsimos, non eos qui ſunt eiuſmodi, ſed eos qui minus fortes ſunt illi quidem, ſed nihil aliud boni habent. Prompti enim ſunt iſti ac parati ad pericula, vitámq; exigua mercede commutant. Ac de fortitudine quidē hactenus. Quid autem ipſa ſit, non difficile eſt ex iis quæ dicta ſunt, ſimiliter quidem cognoſcere.

## Cap. 10.

DE qua quoniam diximus, iam de temperātia dicemus. Sunt enim hæ virtutes earū partiū propriæ, quæ ſunt rationis expertes. Ac temperantiam quidem mediocritatē in voluptatibus eſſe iam diximus. Minus enim & nō ſimili modo verſatur in doloribus, in quibus etiam intemperantia cernitur. Nunc quibus in voluptatibus verſetur, explanemus. Diuiſæ ſint igitur ita, vt aliæ ſint animi, aliæ corporis: vt ſunt ambitio, & diſcēdi cupiditas: vterque enim delectatur eo, cuius afficitur cupiditate: cùm nihil corpus, ſed animus potius perpetiatur. Qui autem in voluptatibus eius generis occupati ſunt, nec temperantes, nec intemperantes nominātur. Nec ij omnino qui alias ſequūtur, quæ non ad corpus pertinēt: nam qui fabellarū cupiditate ducuntur, vel ſtudio narrandi trahuntur, & qui in rebus quibuslibet dies totos conterunt, eos loquaces, non intemperantes diximus. Ne eos quidem, qui pecuniarū amiſſionem, vel amicorum caſum grauiter ferunt. Hæreat ergo neceſſe eſt in voluptatibus corporis temperantia, nec tamē in omnibus. Qui enim delectantur iis rebus quæ ſub aſpectum cadunt, vt colore, vt figura, & pictura, ij nec tempe-

*rantes appellantur, nec intemperantes. Atqui videntur iis rebus & delectari posse, vt ratio præscribit, & nimium & parũ. Itémque in iis quæ subiecta sunt auditioni. Neque enim eos quisquam, qui præter modum cantu, vel fabularum actione lætantur, intemperãtes, aut eos qui modicè, moderatos appellat. Nec eos, qui iis rebus gaudent quæ subiectæ sunt odorationi, nisi improprié. Nã qui malorum, rosarum, suffumigationúmque capiuntur odoribus & fragrantia, eos non intemperantes appellamus, sed eos potius qui vnguentorum & opsoniorum. Ex his enim libidinosi capiunt voluptatem, propterea quòd ex ipsis redeant in memoriam cupiditatum. Cernere etiam licet alios cùm esuriunt, epularum odore capere voluptatem. At gaudere rebus eiusmodi, hominis est intemperantis: quoniã eorum hæ sunt voluptates propriæ. Nec verò his sensibus prorsùs capiunt cætera animantia voluptatẽ. Neque enim aut canes leporũ delectantur odore, sed pastu: siquidem sensum odor ferit & afficit: aut leo voce bouis, sed esu, quòd eum in propinquo esse sensit ex voce, itaque eo ipso lætus est. Itémque nec quòd cernat, aut inuenerit ceruum, vel capram feram, ex eo gaudet, sed quia pastum nactus sit. Versantur igitur in iis voluptatibus omnibus temperantia & intemperantia: quarum reliquæ participes sunt animantes. Itaque seruiles eas belluinásque esse constat. Cuiusmodi sunt, quæ gustatu tactúque capiuntur. Ac gustatu quidem nihil, aut paulùm admodum vtuntur. Est enim in gustatu saporum iudicium: quod quidem ij faciunt, qui vina probant, & opsonia condiunt. Neque hæc placent admodum libidinosis: sed voluptas ea, quæ ex*

tactu percipitur, in esculentis, poculentis, iisque rebus quæ venereæ nominantur. Itaque Philoxenus quidã Eryxius, cùm epularum voluptate duceretur, collum sibi dari gruis longius optabat, quòd ex tactu caperet voluptatem. Tactus autẽ ex sensibus vnus patet latissimè, in quo sita intemperãtia est, quæ iure vt probrum maxime obiectatur: propterea quòd nec in nobis, non quatenus homines sumus, sed quatenus animalia. His igitur talibus delecturi, eáque adamare, belluarum est. Eas enim excipimus quæ honestæ liberalésque cùm maximè sint, ad tactum pertinent, quales sunt quæ in gymnasiis frictione & calore gignuntur. Neque enim proteruorũ ac libidinosorum tactus toto corpore fusus est, sed quibusdam partibus inhæret.

## Cap. II.

CVPIDITATVM autem aliæ cõmunes sunt, aliæ propriæ & adscitiæ, vt cibi cupiditas naturalis est. (Omnes enim cum vacui sunt, cibũ, vel siccum, vel humidum appetũt, aliàs vtrunque.) Et, vt ait Homerus, cubile optat adolescens, & qui est iam corroborata ætate. At hunc vel illum cibũ, nõ iam, nec eosdem omnes desiderant. Itaque hoc iam nostrum est, quanquam habeat quiddam simile naturæ. Alij enim alius mouentur: sunt que res quædam quibus omnes delectentur potius quàm quibuslibet. Ac in iis quidẽ quæ à natura proficiscuntur cupiditatibus, delinquitur atque peccatur à paucis: idque in eam partem quæ nimiũ est, quòd plus adhibeatur quàm ratio præscribit. Nam edere quæcunque adsint, & potare dum supra modum cõplere, id est extra modum in eo prodire quod secundum naturam est. Expletio enim eius quod deest, eius est cupiditatis quæ à natura proficiscitur. Itaque homines appellãtur

hi, γαστρίμαργοι, quòd ventrem cibo & potione compleant, contra decorum: quales sunt qui mancipiorum sunt persimiles. At verò in proprius & priuatis voluptatibus cõplures peccant, atque id multifariam: cúmque hi qui res eiusmodi adamant, aut ex eo dicantur, quòd iis gaudeant, quibus non decet, vel plus quàm ratio póstulet, aut quemadmodum plerique, vel non quemadmodũ decet, vel quo dedecet: intemperantes sanè omnibus in rebus modũ trãseunt. Nam & ex quibusdã rebus percipiũt voluptatẽ, ex quibus, quoniã odio dignæ sunt, nõ decet percipere: & si quibus ex rebus voluptas capienda est, ex iis maiorẽ capiunt quàm debeãt, vel vt vulgus. Ex quo quidem perspici potest, intemperantiam, exuperantiam esse quandam voluptatum, eóque vituperandam. In doloribus autem nõ dicitur quis temperans, vt in fortitudine, ex eo quòd eos ferat: nec intemperans, quòd nõ ferat: sed intemperãs quis appellatur, quòd molestius quàm decet, ferat nulla se voluptate perfrui. Itaque ei affert dolorem voluptas. Ac témperãs propterea, quòd nec se priuari voluptate doleat, nec abstinere. Ac intemperãs omnes voluptates concupiscit, aut certè maximas: ficque voluptatibus rapitur, eas vt rebus omnibus anteponat. Itaque & nõ fruendo angitur, & cõcupiscendo. Est enim cum dolore omnis cõiuncta cupiditas: nihilque profectò absurdius est, quàm ex voluptate percipere dolorem. Qui autem parum aut minus quàm æquum sit, voluptate afficiantur, pauci admodum reperiũtur. Non enim propria est hominis huiusmodi sensus vacuitas, & in voluptatibus aspernãdis immanitas. Etenim cætera animalia pastum discernunt à pastu, alióque delectantur, alio

*non item. Sed si quis est huiusmodi, cui nihil voluptatem afferat, quique nihil putet interesse inter aliam rem atque aliam: is profectò procul absit à natura hominis, hominémque ex homine exuerit necesse est. Talis quoniam non admodũ reperitur, vacauit nomine. Temperans autem iis rebus omnibus modum adhibet. Nam nec delectatur iis quibus intemperãs maxime: sed angitur potius, nec omnino quibus ex rebus voluptas percipienda nõ est, nec vehementer vlla eiusmodi: nec si absint, dolore conficitur: nec cõcupiscit, nisi moderaté. quòd si concupiscat, nullam magis quàm decet concupiscit: nec quando dedecet, nec vllam omnino ardentius desiderat eius generis voluptatem. Quæ autem ad valetudinem pertinent voluptates, vel firmam corporis cõstitutionem, eas modicè, & vt decet, concupiscit: cæterásque res omnes voluptatũ effectrices, quæ his non sint impedimento, dummodo nec honestati repugnent, nec facultates exhauriant. Nam qui ita animo affectus est, is vehementius quàm æquum sit, voluptates huiusmodi adamat. Qualis non solet esse temperans, qui rationi congruit.*

Summa lib. 1 tab. cap. 12.

INTEMPERANTIA *autem magis nostra voluntate suscipitur quàm timiditas & ignauia. Illa enim ex voluptate, hæc ex dolore nascitur, quorum voluptas expetẽda est, dolórque fugiendus. Ac dolor quidem naturam eius in quo est, à suo statu dimouet ac labefactat: voluptas nihil tale facit, quoniam etiam à nostra voluntate proficiscitur. Itaque maiore reprehensione digna est: quandoquidem facilior est earum rerum consuetudo, quæ sunt voluptatis. Nam & multa & varia eius generis in vita versantur, & eorum consuetudo sine periculo omnis capitur. In*

*rebus autem formidolosis contrà contingit. Sed ignauia non æquè voluntaria ac res singulæ, esse videatur: quòd illa dolore vacat, hæ adeò homines de suo statu, sensu doloris dimouent; vt & arma abiicere, & alia permulta contra decorum homines facere cogantur: ob eámque causam violentæ videntur. Contráque intemperantis res singulæ voluntate ac sponte suscipiuntur: quippe qui eas appetat & concupiscat: totum verò genus, minus. quandoquidem nemo intemperantiæ cupiditate ducitur. Nomen autem τ ἀκολασίας, id est, intemperantiæ, ad pueriles errores delictáque transferimus: nec iniuria. Est enim inter hæc quædam similitudo. Vtrum autem ab altero ductum sit, nihil ad id quod agimus: quanquam satis constat, posterius ductum esse à priore. Nec iniuria quidem facta translatio est: κολάζειν enim, id est, castigatione quadam adhibita contrahi, debet id omne in nobis, quod rerum turpium ac libidinosarum cupiditate rapitur, nimiúmque exultat ac luxuriat: cuiusmodi sunt appetitus, & pueri maximé. Nam cupiditatibus ducti viuunt etiam pueri, in quibus maximè rerum voluptatem efficientium valet cupiditas. Quòd si minus rationi parebunt, eique subiecti erunt appetitus, longius euagabuntur: (est enim cùm per se voluptatis insatiabilis & inexplebilis cupiditas, tum omni ex parte in eo qui à ratione discedit) & cupiditas, dum expletur, eius quod cognatum est, vires amplificabit: quæ quò sunt maiores & vehementiores, eò magis mentem è sua sede & statu dimouent: itaque modus in iis retinendus est, ne rationi repugnet. Atque hoc ipsum est, quod obediens castigationeque adhibita moderatũ esse*

*dicimus. Vt enim puer ex pædagógi præſcriptione, ſic vis hæc cõcupiſcendi conueniẽter rationi debet viuere. Quocirca debet in moderato viro, & tẽperante rationi cõgruere ea pars animi, quæ cupiditatũ eſt ſedes. Vtrique enim propoſitũ eſt, id quod deceat. Et appetit temperãs quæ decet, omnia, & quemadmodũ, & quãdo decet: quẽadmodum etiam ratio præcipit. Ac de temperantia quidem hactenus.*

# ARISTOTELIS
## ETHICORVM LIB. IIII.

Cap. 1.

EINCEPS *de liberalitate dicamus, quæ in pecuniis mediocritas quædam cernitur. Laus enim liberalis, poſita eſt non in bellicis rebus, vel iis in quibus temperans cernitur: nec rurſum in iudiciis, ſed in dandis accipiendíſque pecuniis, potiúſque in dandis. Pecunias autem appellamus res omnes, quarum nummo ponderatur æſtimatio. Sunt autem in pecuniarum vſu duo vitia: quorum alterum in exuperantia poſitum eſt, dicitúrque prodigalitas: alterum in defectione, quæ appellatur auaritia. Ac auaritiæ quidem crimẽ iis ſemper attribuimus, qui nimio pecuniarum ſtudio tenentur. Prodigalitatem autem quandoque cum aliis vitiis confundimus. Impotentes enim & qui ſumptus faciunt, profundúntque pecunias in eas res quæ ſunt*

*intemperantiæ, prodigos dicimus. Itaque improbissimi videntur esse, quòd multis simul vitiis sint flagitiisque contaminati. Non igitur proprio nomine appellantur: ~~est enim prodigus certo vitio implicatus, quod in effundendis pecuniis cernitur.~~ Ἄσωτος enim est qui salutem suam negligens per se ipse perit: atqui videtur ipsius interitus quidam esse, facultatum effusio, quod ex iis vita sustentatur. Prodigalitatem igitur hoc pacto intelligimus. Quarum autem rerum vsus aliquis est, iis & rectè & peruerse vti licet. Atqui sunt diuitiæ & pecuniæ in bonis vtilibus: & qui virtute præditus est ea, quæ in rebus omnibus cernitur, is optimè scit vti omnibus. Optimè igitur diuitiis vtetur is, qui virtutem, quæ in pecuniarum vsu versatur, habuerit, qualis est liberalis. Vsus autem pecuniarũ in sumptu & largitione consistit: in acceptione verò & custodia magis cernitur possessio. Quocirca liberalis est, dare potius quibus dandum est, quàm vnde accipiendũ est, accipere: aut vnde accipiendum non est, non accipere beneficium. Virtutis enim magis propriũ est, beneficia in alios conferre potius quàm ab aliis accipere: & quæ recta sunt & honesta facere, quàm flagitiosa & turpia nõ facere. Dubium autem non est, quin dantem beneficium datum, honestáque actio comitetur: accipiẽtem verò beneficium acceptum, aut certè nulla turpis indecoráve actio. Et gratia ac laus multò etiam magis, dantem, ac non eum qui non accipit, sequitur. Facilius etiam est, nõ accipere quàm dare: suum enim quisque minus sæpe profundere solet, quàm accipere alienum. Atque etiã liberales dicuntur ij, qui largiuntur. Qui verò non accipiunt, iis non liberalitatis laus tribuitur, sed*

*iustitiæ potius. Qui autem beneficia accipiunt, non admodum ij laudari solent. Iam omnium in quibus virtus inest, ij ferè diliguntur maximè, qui fama & laude valent liberalitatis: prosunt enim aliis quod in largiendo quidem positum est. Virtuti autem consentaneæ actiones præclaræ sunt, honestatisque causa geruntur: dabit ergo liberalis beneficia honestatis causa, & recte. Largietur enim quibus, & quantum, & quando largiendum erit: cæteráque seruabit omnia, quæ rectam & æquam largitionem sequuntur: eáque faciet libenter, aut non grauatè quidem. Quod enim in virtute inest iucundum, aut non molestum, idem minimè graue est. At verò qui largitur quibus largiendum non est, nec honesti studio, sed alia aliqua causa ductus, hic non est habendus liberalis, sed alio aliquo nomine appellandus: ne is quidem qui grauatè id facit, quoniam præclaris actionibus & officiis facilè pecunias anteponat, quod procul abest à liberali. Nec verò liberalis vnquam accipiet, vnde nefas sit: quippe cùm ita non soleat accipere is qui pecunias contemnat, ac pro nihilo putet. Nec idem ad petendum procliuis est, quòd non libenter beneficium accipiat is, qui dare solet. Accipiet tamen vnde æquum erit, vt de suis facultatibus & copiis: non quod honestum sit, sed quia necesse est, vt ad largiendum suppetant copiæ. Nec verò sua negliget, qui nonnullis quidem ex his opitulari velit. Passim autem cuiuis non largietur, vt suppetant copiæ ad largiendũ, quibus rectũ erit, & quãdo, & vbi ratio postulabit. Est etiam liberalis in dando valde excellere, vt sibi minora reliqua faciat. Liberalis est enim sibi suisque commodis minus consulere. Sed ea fa-*

~~maiores sint minores Laudantia~~
~~eiusmodi omnis ponderanda liberalitas est.~~ Neque enim ex numero beneficiorum quæ dantur, sed ex animi habitu eius qui dat, omnis est spectanda liberalitas: habenda autem in dando rationem habet facultatum. Quamobrem nihil prohibet liberaliorem esse eum, qui minora conferat beneficia, si ex minoribus quæ supperant copiis, largiatur: Ad opem autem ferendam aliis propensiores sunt ij, qui non suo labore & diligentia opes pararunt, sed ab aliis parras acceperunt: neque enim experti sunt egestatis quàm sit graue malum. Et sua cuique facta magis placent, vt parentibus & potis Difficile est autem liberalem locupletem esse, nec accipientem aliunde, nec sua custodientem, quinetiam largientem, pecuniámque non propter se amantem, sed ad beneficentiam liberalitatémque conferentem. Itaque accusatur fortuna, quòd minimè locupletes copioſique sint ij, qui sunt dignissimi. Quod non sine ratione contingit. Neque enim vt cæteris rebus, sic opibus abundare possunt ij, qui nullam dant operam, vt consequantur. Non tamen opem feret indignis, aut quando nõ erit largiendum: eáque seruabit omnia quæ sunt generis eiusdem: non enim iam faciat quæ sint liberalitatis. quas in res si profuderit facultates, nihil iam possit in eas quæ honestæ sunt, effundere. Vt ergo diximus, is demum liberalis est, qui pro facultatibus, atque in eas res quæ præclaræ sint, profundit pecunias: qui autem modum transit, prodigus dicitur. Itaque reges non appellamus prodigos, quòd non facile sit eorum opes & copias, quas maximas habent, vllis largitionibus aut sumptibus exhauriri.

Quoniam igitur mediocritas quædam est liberalitas, quæ

largiendis accipiendísque pecuniis cernitur: largitur quidem liberalis, & sumptus faciet in eas res quæ decoræ erunt: ilsque modum adhibebit, æquè in magnis, atque in paruis: idque faciet libenter, accipiétque vnde quantúmque accipiendum erit. Nam quia in vtroque hæc virtus, vt modus quidã cernitur, vtrúque pro dignitate præstabit. Honestam enim largiendi rationem, honesta etiam accipiendi solet consequi: sin talis non est, contrarium fit necesse est. Ac eæ quidem quæ se consequuntur, semper sunt in eodem: contrariæ autem non item. Quòd si contra decorũ, & honestatem accidat, vt profundat pecunias, ægrè feret ille quidem, sed modicè & decoré. Virtutis est enim & lætari & dolere quibus rebus, & quemadmodũ decet. Iã in re nummaria liberalis facilem se socium lenémque præbebit. Quoniã enim despicit ac pro nihilo putat pecunias, opportunus est iniuriæ. Idémque molestius feret se sumptus non fecisse quos debuit, quàm doleat se in eas res quas minimè decuit, pecunias effudisse: nec Simonidis sententiam probabit. At verò prodigus in his etiam omnibus aberrat. Nam nec gaudet, quibus, aut quemadmodum æquum est, nec offenditur: quod ex iis quæ deinceps dicemus, facilius intelligetur. Atque hoc quidem iam diximus, prodigalitatem & auaritiam exuperantias esse ac defectiones: eásque in duobus versari, largiendis accipiendísque pecuniis: sumptus enim referimus ad largitionem. Et prodigalitas quidem largiendo & minus accipiendo finẽ modúmque transit, accipiendóque, modum deserit. Auaritia autem largitur parum, illa quidem, sed accipiendo, nisi in paruis, vltra modum progreditur. Ea igitur, quæ sunt pro-

digalitatis propria, non possunt vnà diutius constituere, accessionémque capere. ~~Neque enim facile est, cum qui à nemine acceperat, largiri omnibus.~~ Celeriter enim desunt ad largiendum facultates iis qui priuati sunt, quales sunt ferè prodigi. Atqui cùm sit eiusmodi, tamen videtur multo melior auaro. Facilè enim ad sanitatem traduci potest & progressu ætatis, & inopia coactus: ad mediocritatémque peruenire possit. ~~In eo enim sunt ea omnia quæ sunt libe~~ ralis, quòd & largitur, nec aliunde accipit. Sed tamen in vtroque, nec decorum seruat, nec æquitatem. Quod si facere assuescat, aut alias commutetur, iam erit liberalis. Nam & quibus largiendum erit, largietur: nec vnde minus æquum erit, accipiet. Quocirca non videtur deprauatis corruptísque moribus præditus. Non enim scelerati est aut ingenerosi, sed stulti potius, largiendo, nec accipiendo finem modúmque transire. His igitur præditus moribus prodigus, multò est auaro melior, cùm ob eas causas quas diximus, tum quòd hic prodest omnibus, ille nemini, ne sibi quidem. Sed plerique prodigorum, vt diximus, à quibus non debẽt, accipiunt, ob eámque causam auari existunt: parati autem sunt ad accipiendum, propterea quòd inest in iis cupiditas plerunque effundendi copias, quod ægrè efficere possunt. Cùm enim dando egere celeriter cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur: & quia nullam honestatis rationem ducunt, sine delectu vndecunque possunt, rapiunt. Inest enim cupiditas in eis largiendi: sed quomodo, aut vnde, nihil laborant. Quare largitio eiusmodi non debet liberalis videri. Nam nec honesta est, nec honestatis causa, nec pro dignitate: sed nonnunquã quos homines æquum erat om-

*ni ope desertos vitam in summa inopia degere, eos potissimùm locupletant: iis verò qui bonis sunt moribus, nihil largiuntur: assentatores autẽ, eósque omnes qui ministri sunt voluptatum magnis opibus adaugent. Ita fit, vt plerique eorum sint libidinosi. Quoniam enim facilè largiuntur, sumptus etiam iis rebus suggerunt, quæ sunt libidinis. Et quoniam honestè & moderatè non viuunt, propensi sunt ad voluptates. Ac prodigus quidem cùm nullam sequitur ducem rationem, in has miserias incidit. Qui si curam diligentiâmque adhibuerit, facilè ad virtutem decorúmque perueniat. At verò auaritiæ malum insanabile est. Nam senectus omnisque imbecillitas auaros efficit. Eadémque magis tributa est à natura hominibus, quàm prodigalitas: quòd multò plures studio pecuniæ trahantur, quàm parati sint ad largiendum. Latè etiam patet, eiúsque genera sunt plura: multi enim modi auaritiæ videntur esse. Cùm enim in rebus duabus cernatur, vt si minus largiare quàm deceat: & si modum accipiendo transeas: non inest tota in omnibus, sed seiungitur, aliíque extra modum accipiendo prodeunt, alij parum largiuntur. Qui enim his nominibus appellantur, parci, tenaces, aridi, omnes deficiunt & desunt dando: sed alienum nec appetunt, nec volunt accipere: quorum alij id faciunt bonitate quadam, rerúmque turpium fuga. Videntur enim quidam, aut certè aiunt se ob eam causam tueri ac conseruare sua, vt ne aliquando turpe aliquid facere cogantur. In his est & cumini sector, & si quis talis: qui omnes ex singulari quadam auaritia nominati sunt. Alij autem metu ab alieno manus abstinent: quòd non sit facile, qui ab alijs accipiat, eius*

*res ab aliis non vicißim accipi. Placet igitur his talibus, neque dare aliis quicquam, nec vicißim ab aliis accipere. Sunt etiam alij in accipiendo nimij, qui paßim & quiduis accipiunt, quales ſunt ij qui in ſordidis artibus verſantur, vt lenones, & omnes eiuſmodi, vt fœneratores, & qui exigua dant, vt maiora ferant. Omnes enim hi homines, à quibus & quantum æquum non eſt, accipiunt: eorúmque communis, turpis, ſordidúſque quæſtus videtur. Nam propter quæſtum atque eum perexiguum, omnes probra & dedecora ſuſtinent. Qui enim magna à quibus, & quæ nefas eſt, eripiunt, quales ſunt tyranni, qui ciuitates oppugnant, fana diripiunt, ij non auari, ſed ſceleſti potius, impij & iniqui ſunt habendi. Attamẽ & aleatores, & fures, & latrones auari putandi ſunt, quòd in turpi quæſtu ſint occupati: nam ſpe quæſtus hæc inſtituta ſequuntur, & probra perferunt. Atque hi ſpe quæſtus maximis periculis ſe offerunt: illi ab amicis, quas copias iis ſuppeditari æquius eſt & relinqui, eas lucrantur. Vtrique igitur, quoniam opes ſuas augent alienis, repugnante ratione, in ſordido quæſtu & arte verſantur. Quamobrem omnes hæ rapinæ & pecuniarum tranſlationes illiberales ſunt. Iure autem liberalitati auaritia oppoſita eſt, quod maius eſt malum quàm prodigalitas: ſæpiúſque ea peccatur, quàm illa eadem effuſione. Ac de liberalitate quidem vitioſitatibúſque ei contrariis hactenus.*

SEQVITVR vt de magnificentia diſſerendũ eſſe videatur, eo ipſo q̃ ea virtus in pecuniis cernitur. Sed nõ ad omnes actiones & officia pecuniaria quẽadmodũ liberalitas, ſed ſumptuaria quodã adhibetur, in quibus liberalitatẽ

Cap. 2.

magnitudine superat. Est enim virtus vt nomine ipso declaratur, in sumptuum magnitudine seruãs decorũ. Magnitudo autẽ ad aliud refertur. Neque enim idẽ sumptus trierarcho dignus est, & præfecto spectaculorũ: in omnibúsque rebus vt decorũ conseruetur, & personæ, & tẽporis, & rerum ipsarum habenda ratio est. Qui autem sumptus facit in res vel paruas vel mediocres pro dignitate, is non magnificus, vt ille qui dicebat, Sæpe dedi peregrinis: sed qui in res magnas, is demum magnificus est iudicandus. Qui enim magnificus, idem continuò liberalis: qui autem liberalis, idem non continuò magnificus est. Huius autem animi habitus defectio, sordes appellatur: exuperantia, luxus, & profusa ineptáque largitio. & si qua sunt eius generis vitia, quæ extra modum nõ prodeunt sumptu quibus in rebus decet, verùm in quibus dedecet, & qua ratione non decet, splendorẽ ostentant, de quibus mox disseremus. Magnificus autem docto similis est, quoniam decori rationẽ habere potest, sumptúsq; magnos aptè suggerere. Nam cùm habitus omnis animi definiatur actionibus, initio vt dixi, iisq; omnibus in quibus versatur: magnifici autẽ sumptus, magni sint & decori: fit vt etiã eiusmodi sint opera. Ita enim sumptus magnus futurus est, & ad rẽ aptus & accõmodatus, si & res ipsa sumptu digna, & sumptus re ipsa dignus, aut etiã maior habebitur. Sed hæc omnia honestatis causa (hoc enim virtutibus omnibus cõmune est) magnificus faciet, idque libẽter ac largiter. Accuratè enim ac subtiliter res põderare, sordes sectãtis ac splendorẽ fugiẽtis est propriũ. Magísque qua ratione quicq; splẽdidissimè efficiatur, consyderabit, quàm quãti, quóq; modo minimo.

*Magnificus autem liberalis sit necesse est. Nam cùm eos liberalis sumptus suppeditat, quos & quẽadmodum decet, tum in iis magnifici splẽdor elucet: quasi magnificentia sit magnitudo quædam liberalitatis in sumptibus faciendis. Id etiam magnifici est, quòd æquo sumptu rem administrabit splendidius. Neque enim eadem virtus est & commendatio possessionis, & operis. Vt enim quæque res quã possideas, maximi precij est, ita plurimũ commẽdatur: ita vt in precij æstimatione sit possessionis cõmendatio, at operis cõmendatio est, si præclarum est atque magnũ: quoniã eius inspectio mirabilis. At quod magnificũ est ac splẽdidum, id omne mirabile. Estque rei & operis splẽdor ac dignitas in magnitudine. Sumptus autem in hoc genere ij probantur maximè, quos honorabiles dicimus, quales sunt quæ Diis adhibentur, donaria, apparatus, sacrificia, similitérque ea omnia quæ in cultu & religione diuina impenduntur, & quæ in Repub. honestæ gloriæ causa exhibentur: vt sicubi ludos fieri splẽdidè putent oportere, aut triremis præfecti munus exequi, aut publicũ epulum præbere. Sed in his omnibus videndũ est, vt dixi, nõ modò, qualis is sit qui agat, sed quales etiam ei suppetant ad efficiendum facultates. Sunt enim ad res quæ suscipiuntur accommodandæ: nec solùm quid opus deceat, sed etiam quid eum qui sumptus facit, deceat, videndum est. Quocirca pauperũ nemo possit esse magnificus, quòd ei nihil suppetat, vnde sumptus queat splendidè sustinere. Quòd si aggrediatur, quoniam id faciat cõtra dignitatem ac decorum, cùm virtutis proprium sit non discedere à recto, profectò stultus habeatur, necesse est. Huiusmodi verò sumptus iis potissimùm decori sunt,*

*quibus illos ſumptus facere, vel ab ipſis eſt receptum, vel à maioribus ſuis, aut alio quodam propinquitatis iure ipſos attingentibus inſtitutum: tum vero nobilibus & claris hominibus: & ſi qua ſunt ex hoc genere: ineſt enim in his omnibus ſplendor quidam & dignitas. Ac magnificus quidem vir eſt eiuſmodi, in hiſque talibus ſumptibus, vt dixi, magnificentia cernitur maximé. Sunt enim & maximi, & maxima digni gloriatione. Eorum autem qui priuatim fiunt, huc pertinent ij omnes qui ſemel ſuggeruntur, vt nuptiæ, & ſi quid eſt eiuſmodi. Itémque ea in quibus ciuitas vult ſtudium ſuum priuatim ciues collocare; aut ij qui ſunt in magiſtratu: hoſpitum etiam recipiendorum iura, legationes, dona, & remunerationes. Neq; enim ſui cauſa ſumptus ſolet facere magnificus, ſed Reipub. Et dona ſimile quiddam habent iis rebus, quæ diis dedicãtur. Eſt etiam magnifici & honorati viri, domum ædificare, cuius modus & dignitas ad diuitias accommodanda eſt. (quæritur enim etiam ex domo dignitas quædam) & in eas res potius pecunias profundere, quas diutius durare oporteat: (hæ enim præclariſſimæ res ſunt) ita vt ſuum quæque decus obtineat. Non enim eadem diis hominibúſque conueniunt, nec fanis & ſepulchris. Omnis etiam ſumptus magnus eſt ex ſuo genere æſtimandus. Atque ille quidem magnificentiſſimus eſt, qui magnus eſt, & in magnã aliquam rem factus: ſecundo verò loco eſt, qui in huiuſmodi res aliquas de quibus agimus, magnus erit. Intereſt autem inter id quod in re, & quod in ſumptu magnũ appellatur. Nam pila quidem ſi pulcherrima ſit, aut vrceus, pueri quidem ratione & ſententia, clarus & magnificus habeatur: eius*

*autem æſtimatio & precium perexiguum eſt, & illiberale. Ob eámque cauſam magnifici eſt, in quocunque genere quid faciat, magnificè id ſplendidéque facere. Nam quod ita fit, nec facilè ſuperari poteſt, & fit pro ſumptus dignitate, ac magnificus quidẽ vir talis eſt. Qui autẽ modum tranſit, hoc ipſo, vt dictum eſt, modum tranſit, quòd profundat contra decus pecunias. In rebus enim parui momenti magnos ſumptus adhibet, ſplendorémq; ineptè oſtẽtat, vt nuptiali apparatu eos excipiens qui dant ſymbolum, & qui comicos ludos facturus, qua ſunt tranſituri cœmœdi, omnia purpura exornat, vt ſolent Megarenſes. Atque hæc facit omnia non honeſtatis, ſed oſtentandarũ diuitiarum cauſa, & quòd ſe putet admirationem cæterorum excitaturum. Atque idem quæ res magnos ſumptus deſiderant, in iis parcus eſt: quæ exiguos, in iis profuſus. Sordidus verò in omni re abeſt à decoro: qui cùm magnos ſumptus ſuſtinuerit, in exiguo decorũ omne peruertit. Quòd ſi quid faciat, & cunctando id efficit, & qua ratione minimo ſumptu præſtare poſſit, conſiderat, atque id grauatè: idémque ſe ſplẽdidius omnia, quàm deceat facere arbitratur. Ac ſunt hi habitus vitioſi illi quidẽ, ſed non ferè in reprehenſionẽ incurrũt: idque fit ob eã cauſam maximè, quòd nec proximis noceant, nec inſignem habeant deformitatẽ.*

MAGNITVDO *autẽ animi magnis in rebus, vt nomen ipſum ſignificat, cernitur. Sed primũ in quibus, nobis explicandũ eſt. Nihil autem intereſt, vtrum ipſam animi affectionem nobis proponamus, an eum qui ea ſit præditus. Igitur is demũ magno excelſóque animo putandus eſt, qui res magnas illas quidem, ſed quibus dignus ſit, ſibi deberi*

Cap. 3.

*iudicat. Qui enim cùm indignus ſit, de ſe idem hoc ſentit, is ſtolidus habendus eſt. Atqui eorũ qui virtute gerunt aliquid, nemo ſtolidus, nemo amens putatur. Ac magno quidem vir animo is eſt quem diximus. Qui autem exiguos honores meritus eſt, quos ſibi tribui æquum cenſet oportere, is non magnanimus, ſed modeſtus & moderatus eſt iudicandus. Magnus enim animus in magnitudine cernitur, quemadmodum pulchritudo in magno proceróque corpore. Breues autem homines ſunt illi quidem vrbani, aptáque compoſitione membrorum præditi: formoſi, non item. Qui verò magna præmia ſe meritum putat, is cùm ſit indignus, ſuperbus dicitur. Nec verò qui maioribus ſe dignos exiſtimant, quàm eorum ſint merita, omnes elati ſuperbíque iudicandi ſunt. At qui minora quàm habere ſit dignus, ſibi deberi iudicat, is demiſſo puſillóque animo putãdus eſt, ſiue magna, ſiue mediocria, ſiue exigua illius extent merita, quibus minora ſibi etiam tribui putet oportere: ſed potiſſimùm, ſi magna eius merita videãtur. Quid enim ſi tantis eſſet indignus, facturus fuiſſe videatur? Ergo magnanimus, ſummus ac extremus eſt ille quidẽ magnitudine, ſed modo rationéque medius. Nam ſuis ſe ipſe meritis metitur: alij vel modum tranſeunt vel deſerunt. Qui ſi magna atque adeò maxima ſibi, quia dignus ſit, deberi iudicat, profectò vna in re maximè eius merita cernuntur. Quid ergo tandem illud ſit, ex dignitate intelligendum eſt. Dignitas autem ad externa bona refertur: quorum maximum ponimus id, quod Dijs tribuimus, & quod maximè expetunt omnes ij qui ſunt in magiſtratu, & quod rerum geſtarum, vel præclariſſimarum quaſi mercedem omnes deſi-*

derãt, qualis gloria est. Est enim bonorum externorum maximum, gloria. In honore igitur & dedecore magnanimus ita animo affectus est, vt ratio æquitásque postulat. Quod etiam tacentibus nobis facilè perspici potest. Gloria enim magni viri se esse dignissimos, idque pro dignitate arbitrãtur. At, qui demisso pectore pusillóque animo est, is deficit, siue ad ipsum respicias, siue ad magnanimi dignitatẽ. Qui autem elato animo est, quod ad se quidem attinet, in exuperatione est: at cum magnanimo comparatus, non exuperat. Sed quoniam maximis honoribus magnanimus dignus est, idem optimus sit necesse est. Semper enim quò quisque melior, eò maiore dignus est gloria, & optimo cuique maxima gloria debetur. Ita eum qui verè sit magnanimus, virum bonum esse necesse est. Atque etiam magni fortísque animi proprium videatur, quod in quaque virtute magnũ excellénsque ducitur. Nequaquam etiam deceat magno animo virum fugere, aut cuiquam facere iniuriam. A quo enim inductus turpe aliquid faciat, cui nihil magnũ esse videatur? Ac mihi quidem certè singula spectanti, omnino ridiculus magnus animus videtur, qui non idem sit bonus: qui si malus sit, ne honore quidem esse dignus potest. Est enim virtutis merces, gloria, quæ eadem bonis viris tribuitur. Quocirca videtur magnitudo animi, quasi splendor quidam & ornamentum esse virtutum omnium. Nam & maiores eas splendidiorésque facit, & cohærere sine illis nullo modo potest: ob eámque causam vix in quoquã verã animi magnitudo reperitur: siquidem esse sine singulari quadam & eximia bonitate nullo pacto potest. Omnino igitur magnus animus in decore & dedecore cernitur. At-

*que idem magnis honoribus, & qui à bonis viris tribuentur, moderatè ille quidem lætabitur, tanquam ſuos aut etiã minores ſit conſecutus (virtute enim vndique perfecta & abſoluta nullus bonos ſatis dignus poteſt eſſe) ſed tamen eos ille quidem certè recipiet hoc ipſo, quòd ei maiores habere non poſſint. Eos autem, quos vulgus ei tribuet, & exiguos, omnino contemnet, ac pro nihilo putabit, ſiquidem tales meritus non eſt: itémque dedecus & infamiam, quòd ei iure non poſſunt contingere. Imprimis igitur ac maximè in gloria magnanimus, vt dixi, cernitur. Attamen & in diuitiis & magiſtratibus, & in ſecundis rebus & aduerſis, affectus erit quàm moderatiſſimè fieri poſſit: neque proſperis rebus lætabitur nimis, neque aſperis aduerſisque mœrebit. ~~Neque enim iſto pacto in honore & gloria, quæ res eſt maxima, affectus~~ eſt. Imperia enim & opes, gloriæ cauſa expetendæ ſunt. Itaque ea omnia ſibi gloriæ ducunt, qui iis ſunt præditi. Quid ergo videatur ei magnum in rebus humanis, cui etiam contemptui eſt gloria? Quocirca magno animo excelſóque viri, iidem contemnentes rerũ videntur eſſe. Atque etiam ſecundæ res videntur ad animi pertinere magnitudinem. Nam & nobiles gloria digni putãtur, & ij qui ſunt in imperio, & diuites, quòd excellant aliqua præſtantia: habet autẽ venerationẽ iuſtiorem quicquid excellit. Itaque maiores elatioréſque animos hæc ipſa faciunt: ſiquidẽ ex iis gloriam à nonnullis conſequuntur. Quanquã autem ſi verum iudicare volumus, ~~ſolis bonis bonos debetur~~: tamen cui vtrumque adſit, is neſcio quo modo maiorem laudem ac gloriã meretur. In quibus autem hæc talia bona inſunt ſine virtute, ij neque ſe ipſi iure magno*

*honore dignos putant, nec magnanimi rectè nominantur. Neque enim hæc constare sine virtute vndique perfecta vllo modo possunt, superbi verò & cõtumelioſi, & aliis huius generis vitiis præditi sunt. Difficile enim est, si à virtute defeceris, ferre aptè res secundas. Quoniã autẽ ferre illi non possunt, & se præstare cæteris putant, eos contemnunt: ipsi quicquid libuerit, faciunt. Imitantur enim magnanimũ, cùm ab eo absint, distentque plurimũ. Atque hoc quibuscunq; rebus possunt, faciũt. Virtute igitur nec gerũt quicquã, & tamẽ contemnunt cæteros. At verò magnanimus vir iure despicit. Veritate enim ille ad iudicandũ, pleriq; autem magis temeritate dueuntur. Et quoniam paruifacit ac negligit omnia præter admodũm pauca, ideò non solet temerè periculis se offerre, nec ea optare. Magnis autem ac grauibus se obiicit, in quibus vitæ non parcit, hoc ipso quòd indignũ sit omnino in vita manere. Atque is est, qui & beneficia conferat, & accepto beneficio pudore afficiatur: quòd illud eius sit qui excellat & præstet, hoc eius qui vincatur. Idem maius beneficium reddit, quàm accepit. Sic enim debitor fit is, qui prior dederat, ac beneficij acceptor ex datore redditur. De iisque loqui solent magnanimi, de quibus benemeriti sunt: non autẽ de iis, qui beneficia cõtulerunt. Est enim inferior qui accipit eo qui dedit beneficiũ: at vult hic noster princeps esse. Ac quæ contulit beneficia, libenter: quæ accepit, de iis audit inuitus. Itaq; Thetis apud Iouem beneficia sua in eum non cõmemorat, nec Lacedæmonij apud Athenienses, sed illorũ erga se. Est etiam magni viri, nullo omnino, aut vix egere, & opitulari vltrò: apúdque eos qui in magistratu sunt, prosperáque fortuna*

vtuntur, magnum: apud mediocres, modestum se mediocrémque gerere. Nam & illis præstare difficile est ac glorioſum, & his facile: interque illos gloriari, ingenuum est ac liberale: inter humiles autem & abiectos homines, sordidum & importunum: vt si quis cum imbecillis vires suas ostentare vellet. Nec solet idem ad ea commeare omnia, quæ sunt apud vulgus in honore & precio, aut vbi obtinent alij principatum. Quietus est etiam & cunctator, nisi aut magnus bonos agatur, aut res magna. Paucas res agit ille quidem, sed magnas & dignitatis plenas. Idem & apertè oderit necesse est, & apertè diligat, quòd timidi sit tegere ac occultare sententiam: magísque ex veritate pendet, quàm ex opinione, dicítque ac gerit palàm omnia: siquidem id contemnentis est. Itaque liberè quæ sentit, solet dicere: ídque eò facit, quòd & cõtemnat, & vera loquatur: nisi fortè si quid dissimulatione tegendum sit, cui rei locus est apud multitudinem. Nec verò cum aliis nisi cum amico vita victúque cõiungitur, quòd id seruile existimet. Itaque & omnes assentatores, seruiles: & humiles, assentatores esse solent. Et quoniam magnum ei nihil videtur, nihil mirabile ei videri solet. Non recordatur iniurias, siquidem magnanimi non est meminisse præsertim iniurias, sed potius contemnere: nec de hominibus sermonem habet, quandoquidem nec de se prædicabit, nec de cæteris. Nam nec vt laudetur ipse laborat, nec vt alij vituperentur: nec laudat alios libenter: itaque nec conuitiator est, ne inimicorum quidem, nisi forte propter contumeliam. Minimè verò de necessariis, & exiguis anxius solicitúsque est. Eius enim est qui in rebus curam adhibet, his in rebus eam ani-

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITE DE PARIS SORBONNE

*mi affectionem retinere. Atque etiam is est qui res honestas & præclaras, quanuis inutiles, fructuosis anteponat. Hoc enim eum potius decet, qui se ipse contentus est. Incessus etiam magni viri tardus sit necesse est, vox grauis, constans & firma oratio. Neque enim aut festinat is qui paucis rebus studet: aut vehemens est, cui nihil magnũ esse videatur: quibus de causis & contentiones vocis suscipiuntur, & in ingressu celeritates. Ac magnanimus quidem eum se præstabit. Qui autem iis deest officiis, angusto pusillóque animo dicitur: qui modum transit, elato: qui quidem mali & improbi minimè videntur esse, quoniam nihil improbè faciunt, sed errant potius. Nam qui demisso abiectóque est animo, is & quibus bonis dignus est se ipse spoliat, & malo quodam præditus est, quòd se indignum bonis iudicat. Idémque se ipse ignorat: aliter enim ea omnia expeteret, quibus dignus est, cùm sint in bonis. Nec stulti quidem videntur esse, sed pigri potius, quæ eos deteriores facit opinio. Nam cùm ea omnes expetant, quæ meritis ipsorum debentur: tamen isti ab honestatis actionibus studiísque quasi indigni sint, itémque à bonis externis se remouent. At elato animo viri, & stulti sunt, & se ignorant ipsi, atque id aperté. Nam tanquam digni sint, ea aggrediũtur, quibus laus & gloria proposita est, deinde culpantur. Itémque vestitu, gestu, aliísque eiusdem generis se comunt & ornant, suásque res secundas notas volunt esse omnibus, ac de se ipsi prædicant: quasi hæ res sint ipsis honori futuræ ac dignitati. Contraria autem est magis animi magnitudini abiectio animi, quàm elatio & altitudo. Nã & sæpius vsu venit, & maius malum est. Ac animi quidẽ*

*magnitudo in magno, vt dixi, honore versatur.*

*Cap. 4.* VIDETVR *autem etiam in eo quædam virtus consistere, quemadmodum suprà dictum est, quæ eandem habet rationem ad animi magnitudinem, quam ad magnificentiam liberalitas. Nam cùm vtraque recedat à magnitudine, tamen nos in rebus mediocribus, modestis, paruísque rectè afficit. Vt autem in accipiendis dandísque pecuniis mediocritas reperitur, nimium, & parum: sic honorem & gloriam nonnulli nimium expetunt, alij parum: quidam eam quærunt ex iis factis, vnde & quemadmodum quærenda est. Nam & ambitiosum vituperamus, & eum qui nulla gloria ducitur: illum, quia nimio honoris studio trahitur, & iis in rebus gloriam consectatur, quibus quærenda non est: hunc, quoniam ne ex rectè quidem factis instituit gloriam quærere. Incidunt autem nonnunquam tempora, cùm & ambitiosos, quemadmodum suprà dixi, vt viros & honestatis cupidos laudamus, & eos qui nullum honorem expetunt, vt moderatos & modestos. Perspicuum autem est, nos, cùm rei alicuius multifariam quis cupidus dicatur, non eodem semper modo vsurpare nomen cupidi honoris, quem ambitiosum vocamus, sed interdum in laude: ex eo quòd auidior sit, quàm plerique honoris: interdum in vituperio, quòd magis quàm ratio, æquitásque patiatur. Quoniam autem mediocritas vacat nomine: idcirco extrema de ea quasi deserta regione disceptant. Sed quibus in rebus nimium & parum reperitur, in iis etiam relinquitur mediocritati locus. Atqui honorem homines & nimium expetunt, & parum. Expetunt igitur, & quomodo expetẽdus est. Quare lau-*

*datur habitus, qui modum adhibet in expetenda gloria, etiam si vacet nomine. Hoc autem apparet, si virtus hæc cum ambitione comparetur, fore, vt vacuitatis honoris: sin cum vacuitate honoris, ambitionis speciem præ se ferat: si autem cum vtraque, vtranque quodammodo imitari videbitur: quod in reliquis etiam virtutibus cernitur. Quoniámque mediocritas hic nomen non habet, pugnare extrema inter se videntur.*

MANSVETVDO etiã seu clemẽtia, mediocritas quædã iræ est. Sed quoniã mediũ vacat vero proprióq; nomine ac ferè etiam extrema, ad mediũ clementiam transferimus, quæ ad id quod parum est, deflectit, quod etiam nomine vacat. Exuperantia autem iracundia appelletur. Ira enim ipsa perturbatio est, quæ ex multis rebus variísque gignitur. Atque is quidem qui quibus ~~de rebus~~, quibúsque hominibus decet, irascitur, quíque id facit quemadmodum, quando & quandiu decet, is laudibus afficitur, quem eundem clementem & mansuetum appellari licet. Siquidem in laude clementia est. Vult enim clemens omni animi vacare perturbatione, non à perturbatione rapi & distrahi: quin etiam vt ratio præscripserit, sic & his de causis, & tandiu vult succensere. Peccare autem in eam partem videtur, quæ modum deserit. Neque enim vlcisci cupit clemens, sed ignoscere. At verò defectio siue lentitudinẽ, siue alio quouis nomine appellari placet, est in vitio. Qui enim minus succensent ob eas causas ob quas decet succensere, ij stulti videntur: & qui non quomodo, quando, quibus irascendum est. Sunt enim omnis sensus & doloris expertes, qui irasci nesciunt, nec propulsant iniuriam. Atqui con- Cap. 5.

*tumelias & conuitia æquo animo ferre, ac in ſuis negligere, ſeruorum ſimile eſt. Exuperantia verò illa quidem in omnibus exiſtit (nam & quibus hominibus, & quibus de cauſis non eſt iraſcendum, iraſcimur: & vehementius, aut remiſsius, ac diutius quàm ratio poſtulet) ſed tamen non in eodem hæc quidem inſunt omnia: neque enim poſſunt. Cùm enim per ſe malum omne labefactat, tum ſi integrum ſit, intolerabile exiſtit. Ac iracundi quidem celeriter commouentur, & in quos non decet & quibus de cauſis, & vehementius quàm ſat ſit: ſed facilè ac citò etiã eorũ ira deſiſtit, quod in illis quidem eſt optimũ. Idque eis propterea accidit, quia iram non retinent, ſed ſtatim animum explent, eò quòd aperti ſunt, ob acutam illorum commotionẽ: hinc finem faciunt. ἀυρόχολοι autẽ, id eſt, extremæ bilis homines, nimium proclues ſunt, & omni re facilè cõcitantur ad iracundiã, & quauis de cauſa: vnde etiã traxere nomen. At acerbi ægrè placantur, diúque irati ſunt: nam iram retinent, animum autẽ ſi ſemel expleuerint, tum modus apponitur. Vltio enim modum finémque iræ adhibet, pro dolore voluptatẽ efficiens. Quòd ſi id minus fiat, quaſi onus quoddam ſuſtinent. Quia enim hoc minus apparet, nemo ad eos placandos ſe applicat, & ad mitigandã & quaſi concoquendam apud ſe ac per ſe iracundiã, tempore opus eſt. Cùm autem hoc hominum genus ſibi moleſtiſsimum eſt, tum amicis maximis. Infenſos autẽ homines appellamus eos, qui quibus de cauſis minus rectũ eſt, iraſcuntur, & vehementius & diutius quàm ratio poſtulare videatur: eos etiam qui non redeunt in gratiam, niſi vltio, vel animaduerſio ſit conſecuta. Clementiæ autem re-*

*pugnat magis vitium, quod modum transit, ob eam causam quia sæpius accidat. Nam & vlciſci iniuriam, magis naturam attingit humanam: & infesto infenſoque animo homines, minus apti ſunt ad vitæ communionem. Hoc autem & ſuprà dictũ eſt, & ex iis quæ docemus nunc, perſpici poteſt, non eſſe dictu facile, quomodo, aut quibus hominibus, aut qua de cauſa, & quandiu deceat iraſci, & quatenus quis rectè faciat, aut peccet. Qui enim paulùm aliquid modum tranſit, is nec quòd fines rationis tranſilierit, nec quòd ab ea defecerit, vituperari ſolet. Interdum enim eos laudamus, qui modum deſerunt, clementéſque dicimus: & iratos viros appellamus, quaſi imperare poſſint. Ergo quantum quiſque vel quomodo modum egreſſus vituperandus ſit, non eſt facile explicare oratione. In rebus enim ſingulis, atque in ſenſu poſitum iudicium eſt. Ac illud quidem perſpicuum eſt, medium habitum eſſe laudabilem, quo quibus rectum eſt iraſcimur, quámque ob cauſam, & quomodo decet: quod fit etiam in cæteris generis eiuſdem. Illæ verò affectiones quæ modum tranſeunt, ac deſerunt, ſunt omnes in vitio: ac ſi parum medium deſerant, leuiter: ſi aliquanto maiore interuallo, grauius: in magno quodam inſignique ſpatio, vehementer ſunt reprehendendæ. Hoc igitur perſpicuum eſt, mediam in his animi affectionem obtinendam. Ac de his quidem animi affectionibus quæ in ira verſantur, hactenus.*

IN *conſuetudine autem vitæ ſermonúmque ac factorũ* Cap. 6.
*cõmunione ἄρεσκοι, id eſt obſequentes, & nimiũ faciles & blandi videntur ij, qui ad voluptatẽ laudant omnia, nec vlla in re aduerſantur, quòd putent ſe iis quibuſcũ viuunt,*

*nullo loco moleſtiæ eſſe oportere. Qui verò ſunt his multũ diſpares, & in omni re aduerſantur, nec de cuiuſquã offenſione ac moleſtia laborant, ij difficiles, faſtidioſi ac moroſi vocantur. Non eſt quidem dubium id, quin hi animi habitus ſint in vitio: idque ſit in laude, quo ea omnia quæ recta ſunt, vtque ratio præcipiet, probabuntur, reſpuentúrque cõtraria. Nomen autem ei non eſt impoſitum, quanquam amicitiæ ſimilis párq; videatur. Qui enim ea animi affectione præditus eſt, quæ medium locum tenet, non abſimilis ei eſt, quem nos & bonũ virũ & amiçũ vocamus, adiuncto amore. Hoc autẽ differt ab amicitia, quòd affectu eorúmque vacat amore, quibuſcum ipſe verſatur. Neque enim amore vel odio ductus, probat vt decet, omnia, ſed quia ita animo eſt conſtitutus. AEquè enim hoc erga ignotos ac notos: erga familiares æquè, ac erga eos quorum non eſt implicatus conſuetudine præſtabit, niſi quòd in omnibus id faciet pro dignitate. Neque enim æquè decet familiaribus, ac exteris voluptatem & moleſtiam afferre. Atque hoc quidem iam dictum eſt omnino, eum talem hominem in communione earum rerum quæ ad vitam pertinẽt, ſe ita eſſe geſturum, vt ratio poſtulabit. Semper autem honeſtatis vtilitatíſque rationem habens, inueſtigabit inibítque rationem, qua non poſſit offendere, aut certè delectare poſſit. Nam iis in iucũditatibus moleſtiíſque cernitur, quæ ex colloquiis naſcuntur. Harum autem ſi quæ ſunt quibus indecorum eſt, aut etiam incommodum delectationem afferre, eas ita reſpuet, vt etiam malit eſſe moleſtus. Quòd ſi qua res ſit eiuſmodi, quæ turpitudinem facienti eámque non paruam afferat, vel incommodum,*

*& contraria leuem moleſtiam: non probabit, ſed aſpernabitur. Aliter autem cum iis verſabitur qui authoritate aliquâ præditi ſunt, aliter cum quolibet, magíſque aut minus notis: itémque in aliis hominum differentiis ſuum cuique tribuet decorum. Ac per ſe quidem placere volet ac gratus eſſe, moleſtus autem eſſe verebitur. Semper tamen euentus, honeſtatem dico & vtilitatem, ſi plus valere debeant, ſpectabit & ſequetur: magnæque in poſterum voluptatis cauſa, leuiter offendet. Ac medius quidẽ talis eſt, nec vllo appellatus eſt nomine. Qui autem aliis affert delectationem, in eóque nihil aliud ſequitur, niſi vt gratus ſit, obſequẽs nimiúmque facilis dicitur. At qui id facit, vt adiumentum ad opes adipiſcendas, eáque omnia quæ pecuniis parãtur, nanciſcatur, is aſſentator eſt habendus. Eum verò qui moleſtus ac triſtis eſt omnibus in rebus, iã difficilem ac moroſum appellandũ diximus. Pugnare autẽ inter ſe videntur extrema, quòd mediocritas nomen non habet.*

IISDEM *ferè in rebus arrogantiæ mediocritas cernitur, quæ etiam vacat nomine. Ac de iis non erit alienum diſputare. Nam facilius ea quæ ad mores pertinent intelligemus, ſi de ſingulis diſſeruerimus: & virtutes mediocritates eſſe probabimus, ſi ita eſſe in omnibus perſpexerimus. Iam de iis qui in vitæ ſocietate voluptatem vel dolorem ſpectant, diximus. Nunc de iis qui verum vel falſum enuntiant, ac præ ſe ferunt, ſeu factis ſeu dictis, idque arrogando, diſſeramus. Igitur arrogans appellatur is, qui ſibi res magnas & præclaras ſumit & vendicat, cùm non inſint, vel maiora quàm quæ inſunt. Diſſimulator contrà, qui quæ inſunt, negat ineſſe, aut extenuat.* Cap. 7.

*At verò medius & perfectus vir, ſui ſemper ſimilis, verax eſt & vita & oratione: ea in ſe ineſſe confirmans quæ inſunt, nec maiora, nec minora. Licet autem quãque harum rerum, & rei alicuius, & nullius cauſa facere: qualíſque eſt quiſque, & talia ſunt eius & facta, & oratio, & vita, niſi rei alicuius agat gratia. Ac per ſe quidem omne in malo vitióque mendacium eſt: veritas honeſta & laudabilis. Ita etiam verus homo, quoniam mediũ locum obtinet, eſt omnis laudabilis. Qui autem mentiuntur, vtrique ſunt illi quidem vituperandi, ſed maiore quadam ratione arrogans. De quorum vtroque ita diſſeremus, ſi prius de veraci pauca præponamus. Non enim de eo inſtituimus dicere, qui in pactis rebúſque contrahendis verus eſt, aut iis omnibus quæ ad iniuſtitiã iuſtitiámve pertinent, (eſt enim hoc alterius virtutis propriũ) ſed de eo, qui in quibus rebus nihil tale poſtulatur & agitur, ſe & vita & oratione bonum virum ac veracem præſtat, hoc ipſo, quòd ita ſit animo conſtitutus, quem eundem bonum virum appellari licet. Nam qui veri cupiditate ducitur, quíque tum verum enuntiat, cum id non agitur, is multò etiam facilius verax futurus eſt, ſi res poſtulabit. Mendaciũ enim, vt turpe aliquid, vitabit, quod quidem etiam per ſe ipſe fugiebat. Atqui talis vir laudãdus eſt. Sed ad id potius quod minus eſt ac inferius in veritate, deflectit. Id enim magis decet, quoniam quicquid modum finémque tranſit, nimiúmque eſt, id omne moleſtum. At verò qui maiora ſibi, quàm quæ inſunt, vendicat & ſumit, rei nullius cauſa, eſt ille quidem improbo ſimilis: (neque enim mendacio delectaretur) ſed tamen ſtulti potius, quàm praui ſpeciem gerere videtur.*

*Qui autem alicuius rei causa id facit, si gloriæ vel honoris, non est ille quidem admodum vituperandus: qualis est arrogans. At qui pecuniæ, vel earum rerum causa, quæ ad pecuniam spectãt, is multò deformior est. Nec verò facultate ac potestate arrogans, sed animo ac voluntate cernitur. Ex animi enim habitu, & quia talis sit, omnis arrogans iudicatur, vt & mendax, qui duplex est, alius mendacio ipso delectatur, alius gloriæ quæstúque causa mentitur. Atque ij quidem qui cupiditate gloriæ sibi aliquid tribuunt, ea sibi sumunt omnia, quæ vel ad laudẽ, vel beatam vitam pertinent. Qui autem spe quæstus, ea sibi vendicant, quæ etiam vsui sunt proximus, quæque si minus adsint, celare & occultare licet: velut se medicos, ac vates nobiles esse profitentur. Ob eámque causam hæc sibi plerique sumunt & arrogãt, quòd in eis insint quæ diximus omnia. In dißimulatoribus autem, quoniam sua ipsorum illi extenuant, lepidorum morum species apparet: quippe qui non videantur quæstus causa dicere, sed quòd fastidiũ aliis adferre molestiámque fugiant. Sed hi tamen ea dißimulãt maximè, quæ honesta ipsa sunt, & plena dignitatis, vt Socrates faciebat. Qui autem exiguas res paruíque momenti, quæque perspicuæ sunt omnibus, dißimulant, veteratores dicuntur, iíque iure contemnuntur. Id quod etiam arrogantiæ datur interdum, qualis est vestitus Lacedæmoniorum. Nam & sua extollere nimium, & extenuare, quandã speciem fert arrogantiæ. At verò qui moderatè vtuntur dißimulatione, ea vt ne dißimulent, quæ antè oculos posita patent omnibus, ij politi homines atque vrbani videntur. Sed arrogans quoniã deterior est, veraci videtur opponi.*

Cap. 8. SED *quoniã requieti quoque in vita loci aliquid relictum est, in eáque aliquid iocis & hilaritati cõceditur tẽporis, efficitur, vt hîc quoque decora quædã, & apta consuetudo, cõgreßióque ea, & dicendi, & audiendi, quæ & quemadmodũ decet & dicere & audire, vigere videatur. Magnopere etiã refert, vt personarũ habeas, tum dicendo, tum audiendo, rationẽ. Ex quo perspicuum est, & transiri in iis medium, & deseri. Ac illi quidẽ, qui risu ac facetiis vltra modum prodeũt, scurræ ac importuni habendi sunt, præsertim cũ omni ex parte ridiculorũ cupiditate inflammati, dent operã potius vt risum moueant, quàm vt quæ honesta sunt dicant, aut ne eum in quem scõma iaciunt, offendant. Qui autẽ nec facetũ quid dicunt ipsi, & tamen eos qui dicunt, permolestè ferunt, agrestes & duri videntur. At verò qui salibus & facetiis modũ quendam adhibent, ἰὴ εὐξάπελοι, id est vrbani vocãtur, quasi εὐξοποι, id est, quasi optimo corporis motu: morum enim hæ sunt motiones. Vt enim corpora, sic mores ex motionibus iudicãtur. Quoniã autem facetiæ ac sales patent latißimè, cõpluréßque ludicris ac dictis plus capiuntur, quàm ratio patiatur: factũ est, vt scurræ, vrbani quasi politi homines appellarẽtur. Sed tamẽ ex iis perspicuũ est, quæ dicta sunt, inter eos magnas esse dißimilitudines. Huic autẽ mediocritati finitima dexteritas est. Dextri enim ac ingenui est, ea & dicere, & audire omnia quæ bono viro ac libero digna sunt. Eum enim talẽ hominẽ, quædã & ioco dicere decet, & audire. Magna etiam est distinctio ingenui & illiberalis ioci, eius etiã qui bene institutus est & indocti: quod in antiqua nouáque comœdia perspicere licet. Illis enim facetum*

*erat, ſi rerum turpitudini adhibita etiam eſſet verborum obſcœnitas: his verò, ſi ſignificatio potius: quibus in rebus multum eſt diſcriminis ad decorum ſeruandum. Vtrũ igitur qui rectè iocatur, ſaléſque iacit, ex eo ſtatuendus ſit, quòd ea dicat quæ libero homine digna ſunt, an quòd eũ qui audit, minimè offendat, aut delectet potius, ánne hoc quidem certum eſt? Alios enim alia offendunt atque delectant. Idem etiam talia audiet libentius. Quæ enim quiſque audire ab altero vellet, eadẽ etiam facere videtur. Nõ igitur omnia faciet. Dictum enim conuitium quoddam eſt. Et legiſlatores quædam iactari conuitia prohibent: æquũ autem erat idem de dictis cauere. Quocirca politus & liberalis homo ita animo affectus erit, vt ſibi ipſe lex eſſe videatur. Atque is quidẽ, qui medium locum obtinet, eum ſe ipſe præſtabit, ſiue dexter, ſiue vrbanus nominetur. At verò ſcurra à riſu longè multúmque ſuperatur, qui nec ſibi parcit, nec cæteris, ſi riſum concitet: atque idem eiuſmodi commemorat, quæ homo politus nulla ex parte ſuſtineat dicere: nonnulla etiam quæ ab aurium comprobatione abhorreant. Ruſticus autem omnino ad has congreſſiones inutilis eſt. Nam cùm nihil facetum dicat, tamen offenditur omnibus. Atqui videtur in hominum vitam requies, & iocus inuectus neceſſarió. Tres igitur, quas dixi, verſantur in hominum vita mediocritates, quæ omnes in quorumdam dictorum, factorúmque ſocietate conſiſtunt. Hoc autem differunt, quòd vna in veritate, aliæ in vitæ iucunditate cernuntur. Earum autem quæ in iucunditate poſitæ ſunt, vna in iocis, altera in aliis vitæ ſocietatibus congreſſionibúſque conſiſtit.*

Cap. 9. DE *verecundia autem non est quod, vt de aliqua virtute, dicendum esse videatur: siquidem perturbationi est quàm habitui similior. Itaque definitur esse metus quidã dedecoris & infamiæ, eodémque modo nascitur, quo metus is, qui in rebus asperis formidolosisque cernitur. Nam & erubescunt, qui pudore afficiuntur: & qui mortis metu exhorrescunt, terrore exalbescunt: Quare ad corpus vtrũque quodammodo pertinet, quòd perturbationis magis videtur, quàm virtutis proprium. Nec verò omni ætati, sed pueritiæ conuenit perturbatio. Ea enim ætate qui sunt homines, verecundos pudentésque putamus esse oportere: eósque quoniam libidini parent, peccatis multis contaminari & infici, à quibus deterrentur propter verecundiam. Ac adolescentes laudamus verecundos: senem autẽ quòd pudore afficeretur, nemo laudauit vnquam. Nihil enim eum existimamus facere oportere eorum, ex quibus pudor nascitur. Neque enim bono viro digna verecundia est: siquidem ex malis rebus oritur, quæ faciendæ non sunt. Nihil autem interest, vtrum aliæ res per se turpes sint, aliæ opinione: quandoquidem neutræ faciendæ sunt, vt non sit pudori locus. Est autem improbi, ita animo affectum esse, vt quod turpe fœdúmque sit, velit facere. Et absurdum sit, eo esse animo, vt si quid tale agas, afficiare pudore, & propterea te bonum virum iudices. Pudor enim voluntate ac iudicio omnis suscipitur. Nunc vir bonus nunquam voluntate sua, quæ turpia sunt, faciet. Sed tamen potest aliqua causa verecundiam bonam reddere: vt si quis turpe aliquid gesserit, ex eóque pudore afficiatur. Atqui hoc nusquam reperitur in virtutibus. Quòd si impudẽtia in malis*

*est, & nullo pudore affici ex turpibus factis, malũ: nihilo magis eum qui hæc faciat, pudore affici bonũ est. Nec continẽtia quidem virtus est, sed mediæ ac mixtæ naturæ. De qua idoneo loco disseremus. Nunc sequitur, vt de iustitia disseramus.*

# ARISTOTELIS ETHICORVM LIB. V.

DE *iustitia & iniustitia hoc primum cognoscendum est, quibus in actionibus cernantur: iustitia quænam mediocritas sit, quarúmque in rerum iusto medio & æquabilitate consistat. Quæ in rerum cognitione & disputatione eandem, quam in superioribus libris, viam & rationem sequemur. Videmus quidem eam animi affectionem omnes iustitiam dicere, qua apti sunt ad res iustas gerendas, quáque res iustas & faciunt, & cupiũt facere. Eodémque modo de iniustitia sentiunt, qua iniuriam faciunt, & ad res iniquas iniustásque vltrò impelluntur. Itaque hæc primùm quasi prima quædã lineamenta sint à nobis proposita. Neque enim ita est in scientiis & facultatibus, vt in habitibus. Facultas enim & scientia contrariorum eadẽ videtur esse: habitus autem contrarius contrariorum non videtur, vt à valetudine non efficiuntur contraria, sed solùm salubria. Ambulare enim quempiã valenter dicimus, cùm ambulat*

*vt valẽs. Contrarius ergo habitus ex contrario ſæpe intelligitur: plerunque etiam habitus ex rebus ſubiectis. Etenim ſi firma corporis affectio nota ſit, infirma quoque nota conſtitutio eſt: ex iiſque rebus quæ firmam affectionem efficiunt, firma affectio, & ex hac ipſa, quæ ad firmã conſtitutionem pertinẽt. Si enim bene conſtitutum corpus poſitum eſt in carnis craſſitudine, neceſſe eſt malè conſtitutum affectúmque corpus in carne tenui conſiſtere: quódque ad bene conſtituendũ corpus conducat, carnis efficere craſſitudinem. Conſequitur etiã ferè, vt ſi alterum multis modis dicatur, multi etiam modi ſint alterius: veluti ſi quod iuſtum eſt variis modis dicatur, & iniuſtum: porrò autem multis modis dici iniuſtitia & iuſtitia videntur. Sed quia vicina eſt, ac finitima eorum nominum homonymia, id occultũ eſt: nec ſic perſpicuum, vt in iis quorum magnæ ſunt diſſimilitudines: in quibus magna eſt in ſpecie differentia: vt vocatur πλεὰς communi nomine, & ea quæ ſub collo animalium naſcitur, & ea qua oſtia claudũtur. Hoc igitur intelligendum eſt, multis modis iniuſtum hominem vocari, videturque iniuſtus eſſe, & is qui leges violat, & is qui ſemper malorem ſibi partem aufert, & qui iniquus eſt: vt perſpicuum ſit iuſtum eſſe eum, qui pareat legibus, & qui æquus ſit. Iuſtum ergo id erit quod leges iubent, & quod æquum eſt: & iniuſtum id, quod contra leges eſt, & quod iniquum. Et quoniam qui iniuſtus eſt πλεονέκτης etiam eſt, id eſt qui meliorẽ ſemper ad ſe partẽ transfert, verſabitur in bonis, no omnibus quidem, ſed in iis tãtummodo, in quibus aduerſæ proſperæque conſiſtunt. Quæ ſimpliciter ſunt ſemper illa quidẽ, ſed alicui non ſemper. Atque*

hæc optant homines, ac persequũtur, nec debent: sed optare debent potius, quæ verè bona sunt, ea sibi salutaria esse, ea autem sequi quæ sibi bono sint. Sed iniusti non semper, vt in duobus per se malis, maius, sed etiam leuius eligunt. Sed quia minus malum, etiam boni speciem gerit quodãmodo, ipsáq; πλεονέξια in bonis versetur, idcirco πλεονέκται omnino esse videntur, id est, omnia sibi præcipua semper auferentes. Quinetiã iniqui sunt, (hoc enim continet, lãtéque patet: continet enim quod iniquum est, & plus & minus) & legum violatores: quoniam hoc ipsum violare leges, ac iniquum esse, iniustitiam omnem cõplectitur, fusúmq; est per omnem iniustitiam. Quoniam autem omnis est qui contra leges facit, iniustus, & omnis iustus qui paret legibus: perspicuum est, ea omnia quæ legitima sunt, in iustis esse quodammodo numeranda. Quæ enim à disciplina legũ ferendarum constituta sunt, ea legitima habentur, quorũ quicque in iustis esse dicimus. Leges autem iubent omnia, in quo vel communem omnium vtilitatem exquirũt, vel optimorum, vel principum: idque vel actionibus virtutũ, vel alia ratione. Quocirca iusta appellamus vno modo ea quæ beatã vitam, & eius partes in ciuili societate efficiunt ac tuentur. Ac lex quidem & fortí suum officium præscribit, vt non deserere ordinem, nec fugere, nec arma abiicere: temperato, non adulterari, nec vi constuprare: & clementi, non verberare neque conuitiari: itémque in cæteris virtutibus & vitiis, illa iubet, hæc vetat. Ac salutaris quidem habenda est ea quæ rectè lata est: quæ inconsultè & inconsideratè, perniciosa. Atque hæc iustitia, absoluta est illa quidem virtus & perfecta, non illa quidem per se,

*vt animi habitus quidã considerata, sed quatenus alterius commoda & vtilitates respicit. Ob eámque causam hæc vna virtus omniũ est domina, & regina virtutum, neque Hesperus aut Lucifer tantã sui excitant admirationẽ. Ex quo factum est iam tritum sermone omnium prouerbium, Iustitia in sese virtutes continet omnes.*

*Eadémque virtus perfecta est ob id maximè, quòd inest in ea vsus virtutis vndique perfectæ. Perfecta est autem propterea, quòd qui ea præditus est, is etiam erga alios, non in se modò, virtutẽ exercere ac excolere potest. Plerique enim in suis rebus præclarè se gerere possunt, in alienis non possunt. Quocirca præclarũ est illud Biantis, Magistratũ virũ ostendere. Qui enim præest in repub. is iam res curat aliorũ, & in reip. luce versatur: ob eámque causam omniũ virtutum sola iustitia, in bonis alienis ducitur: quia non ad suum commodũ, sed ad aliorũ omnia confert. Aliorũ enim commodis vtilitatíque seruit, aut principis, aut reipub. Ac sceleratissimus quidẽ est habẽdus is, qui malitiam, & ad suam & amicorũ pernicie exitúmque conuertit. Optimus autem is, qui virtutem non ad suam, sed aliorũ vtilitatem refert. Est enim hoc arduũ opus. Atque hæc ipsa iustitia nõ pars virtutis est, sed virtus vniuersa: & iniustitia ei opposita, non pars vitij est, sed vniuersum vitiũ. Qualis autem sit differentia virtutis & iustitiæ, de qua agimus, perspicuũ ex iis est quæ dicta sunt. Est enim re idem, ratione autem non idem: sed qua ad alterum refertur, iustitia: qua habitus est talis, absolutè consideratus, virtus nominatur.*

## Cap. 2.

QVÆRIMVS *autem quidem iustitiam, quæ pars subiecta est virtuti (est enim quædam, vt diximus) & iniusti-*

*tiam eam quæ pars est. Aliquam autem esse eiusmodi, ex hoc facillimè perspici potest. Nam qui agit eorum aliquid, quæ cæterorum vitiorum sunt propria, is facit ille quidem iniuriam, attamen non plus æquo sibi auferre dicitur. Velut si quis abiiciat clypeum propter ignauiam, aut maledixerit per iram, aut pecuniis non iuuerit propter iniuriã. Cùm autem plus sibi sumit quis, sæpe ad nullum eiusmodi vitium illud, nec ad vniuersa, sed ad certum iam aliud pertinet: vituperamus enim tanquam iniustitiam. Est igitur quidem aliud genus iniustitiæ, quæ vt pars subiecta est generali, itémque aliud quoddam iniustum subiectum iniusto, quod est cõtra leges. Præterea si quis quæstus causa stuprum inferat, quæstúmque inde faciat, alter cupiditate incensus, idem de suo largiens & cum damno rerum suarum faciat: hic intemperans potius quàm auidus esse videatur: ille iniustus, intemperans non item. Perspicuum est igitur hoc propter quæstum contingere. Iam verò in cæteris sceleribus omnibus, si peccetur, id semper ad certum aliquod peccati genus refertur, & pertinet: velut si adulteratus est, ad libidinem & intemperantiam: si in acie locum & ordinem deseruit, ad ignauiam: si pulsauit, ad iracundiã: at si quæstum fecerit, ad nullum vitium refertur, nisi ad iniustitiam. Quare perspicuũ est, esse præter generalem certam quandam iniustitiam, quæ illi subiecta sit, eodem nomine appellata, quoniam in eodem genere posita est definitio. In rebus enim alienis vtraque vim suam obtinet: Sed hæc in honore, aut in pecuniis, aut in salute, aut si quo vno nomine hæc complecti omnia possumus, & in voluptate ea quæ ex quæstu percipitur. Illa in iis spectah. iij.*

tur rebus, in quibus vir bonus. Hoc ergo iam apparet, iustitiæ plura esse genera, aliúdque esse præter generalem virtutem, iustitiæ genus. Quæ autem, qualisque sit, deinceps explicandum est. Partitio à nobis posita est rerum iniustarum, alias esse contra leges, alias contra æquitatem. Et iustarum alias legitimas, alias æquas. Ac iniustitia quidē, de qua suprà dictum est, in eo posita est, & consistit, quod sit contra leges. Quoniā aute iniuria ea quæ repugnat æquitati & quæ legibus, non sunt eædem, sed altera vt pars est subiecta generi (quod enim iniquum est, id omne contra leges est: quod autem contra leges est, non omne etiam iniquum: nam quicquid plus est, omne iniquum est: quod autem iniquum, non plus etiā) efficitur, vt quæ iniusta sint & iniustitia, non sint idem quod illa, sed aliud omnino. Atque hæc tanquam partes sunt, illa tanquam genera: siquidem hæc ipsa iniustitia, pars est iniustitiæ generalis, itémque iustitiæ subiecta est iustitia. Quare & de iustitia & de iniustitia, quæ vt partes subiectæ sunt generi, nobis dicendū est, & de iure & iniuria eodē modo. Prætermittēda est igitur nobis iustitia ea quæ generali virtuti attributa est, & iniustitia: quarum in altera vsus virtutis generalis erga alterū cernitur, in altera vitij. Ex quo etiam perspicuū est, ea quæ iustè & iniustè ab iis proficiscuntur, quo pacto sint explicāda: pleraque enim iura legitima ea sunt, quæ à generali virtute ferè præscribuntur. Nam & ex quaque virtute vitam degere, præscribit lex: & ex vitiis, vetat. Efficientia autem virtutis generalis, legitima sunt ea omnia quæ de disciplina publica cauta sunt legibus. Nam de ea disciplina quæ priuatim ad singulos pertinet, ex qua boni viri verè nomi-

nantur, vtrum ad ciuilem scientiam pertineat, an ad aliã, alio loco disputabimus. Aliud est enim fortasse virum bonum esse, aliud ciuem bonum. Sed iustitiæ quæ tanqua pars subiecta est generi, iurisque eius quod ab ea ducitur, vnum genus est, ~~quod in tribuendo bonore vel pecunia cæteris~~ cæterisve rebus omnibus, ~~quæ dividenda inter eos sunt, qui in ciuili societate & communione versantur~~ ea enim possunt vel æqualiter inter ciues diuidi, vel inæqualiter. Alterum genus est, quod in pactis contrahendisque rebus tanquam regula adhibetur. Cuius sunt duæ partes. Nam cõtractuũ alius voluntatis est, alius non est. Voluntarij sunt, vt vẽditio, emptio, mutuũ, sponsio, locatũ, depositum, conductum: qui voluntarij propterea dicuntur, quòd à voluntate nostra principium eorum proficiscatur. Eorum autem qui non sunt voluntatis nostræ, partim clandestini sunt, vt furtum, vt adulterium, vt veneficium, vt lenocinium, vt seruorum solicitatio, vt cædes dolo facta, vt falsum testimonium: partim vi fiunt, vt verbera, vt vincula, mors, rapinæ, membrorum debilitatio, conuitium, contumelia.

## Cap. 3.

QVONIAM autẽ iniustus iniquus est, & quod iniustũ est, idem iniquum: perspicuum est, certum esse medium eorum quæ iniqua sunt, idque æquum nominari. In quacunque enim actione plus & minus versatur, in eadem etiam æquum cernitur. ~~Quòd si quod iniustũ est, idem inæquabile est: profectò quod iustum est, idem sit æquabile~~ necesse est. Quod quidem omnes, etiam si non adferatur ratio, intelligunt. Quoniam autem quod æquabile est, idem medium quoddam est, ius mediũ quiddam sit necesse est. Quod autem æquabile est, id in duobus minimum

cernitur. Necesse est igitur quod iustum sit, medium quiddam esse et æquabile: referríque ad aliud, & quibusdam esse æquabile. Ac quatenus medium est, aliquorum est: quæ plus minúsve nominamus: quia æquabile est, in duobus spectatur: quia ius quibusdam tribuitur. Ita necesse est, quod iustum sit, in minimis quatuor consistere. Inter quos enim ius est, duo sunt: in quibus cernitur, res duæ. Eadémque erit æquabilitas & parilitas, & eorum hominũ inter quos ius est, & earum rerum in quibus ius spectatur. Vt enim inter se affectæ sunt res eæ, in quibus ius positum est: sic etiam ij, inter quos ius est, inter se affecti sunt. ~~Neque enim si pares non sint, paria aut præmia consequentur, aut supplicia dabunt.~~ Aliter pugnæ hinc, criminationes quærelæque nascuntur, si qui pares sunt dignitate, non æqua præmia: aut qui pares non sint, eis paria tribuantur. Quod etiã ex eo perspici potest, quòd cuique tribuitur pro dignitate. Nam quod ius positum est in tribuendo, id omnes cõfirmant, pro dignitate esse oportere. Dignitatem autem non eandẽ omnes dicunt: sed in libertate eam ponunt, qui eam formã reipub. sibi proposuerũt, in qua populus præest: in qua pauci præsunt, in diuitiis, alij in nobilitate generis: qui optimorum reipub. statum sibi constituerunt, in virtute. Quod ergo ius est, id proportione quadã cõstat. Neque enim solùm numeri, quo quid numeramus (μοναδικὸς Græcè dicitur) sed qui omnino dicuntur numeri (numeratum appellant) propria est proportio & comparatio. Est enim proportio parilitas similitudóque rationis, quæ in minimis quatuor reperitur. Ac deiunctam quidem proportionem perspicuum est in minimis quatuor cõsistere, itém-

*que coniunctam. Vnum enim in hac pro duobus adhibetur, bíſq; dicitur: velut quemadmodũ A ad B, ſic B ad C. bis igitur B dictũ eſt. Quocirca ſi bis ponatur B, quatuor erũt analoga, id eſt, quæ eandem inter ſe rationẽ habeant. Atque etiam in quatuor minimis, quod iuſtum eſt, cernitur, eadémque ratio eſt. Deiuncti ſunt enim ſimiliter ij quibus tribuendũ eſt, & ea quæ tribuenda. Ergo vt eſt A extremum ad B, ſic C ad D. viciſſimque vt eſt A ad C, ita B ad D. Ergo & tota ad tota, quod quidem coniungit partitio. Quod ſi ita etiam cõponatur, rectè coniunxerit. Ipſius ergo A extremi cum C, & ipſius B cum D coniunctione ius quod tribuendo paritur, omne cernitur, éſtque ius in medio eius, quod non eandem habet proportionem atque rationem. Quod enim analogon eſt, idem medium: quod autem iuſtum eſt, medium eſt analogon. Hanc proportionẽ vocãt mathematici geometricã, quòd in ea contingit vt tota ſic cum totis, quemadmodum vtraque cum vtriſque conferantur. Non eſt autem coniuncta hæc analogia, propterea quòd non ſit vnum numero extremum cui tribuitur, & quod tribuitur. Atque hoc quidem ius analogon eſt: quod autem iniuſtum eſt, id contra proportionem eſt. Exiſtit ergo hîc plus & minus, quod quidem etiam in actionibus accidit. Qui enim alterum violat, boni plus adipiſcitur: qui violatur, minus. Contrà fit in malis, propterea quòd leuius malum ſpeciem quandam fert boni, ſi cum maiore cõferatur. Eſt enim minus malũ potius quàm maius eligendum. Quod autem eligendum eſt, id bonum eſt: quod potius eligendum eſt, id etiam maius bonũ. Ac de vno quidem iuſtitiæ genere hactenus.*

Cap. 4. SEQVITVR, vt de vna reliqua parte iustitiæ dicamus, quæ quidem in rebus quæ contractæ sunt emendandis cernitur, & voluntariis & non voluntariis. Huius autẽ generis alia quædam ratio est, atque superioris. Nam quòd ius in diuidendis tribuendísque cõmunibus inter ciues rebus consistit, semper in ea quam dixi proportione versatur. Hoc enim ipsum, si diuidundæ sunt publicæ pecuniæ, eandem rationem habebit, quam habent inter se collocatæ pecuniæ, eáque iniuria quæ huic iuri contraria est, à proportione discrepat. At verò ius id quod in contrahendis negotiis cernitur, quædam pars est æquitatis, & iniuria iniquitatis: sed tamen non ad illam analogiam seu comparationem, verùm ad arithmeticam pertinet. Nihil enim interest, vtrum bonus vir scelestum spoliauerit, an bonum improbus: nec vtrũ bonus, ánne malus adulteratus sit: sed lex damni solũ spectat dissimilitudinẽ, vtitúrque pro paribus, si alter violauit, alter violatus est: & si hic damnũ dedit, ille accepit. Ideóque iniuriam hanc, quoniam iniqua est: ad æquitatem iudex & parilitatem conatur traducere. Nam cùm hic verberatus sit aut interfectus, ille verberarit, aut etiã interfecerit: diuisa in inæqualia perpessio & actio est, sed ea ad æquitatem multa imposita iudex redigere conatur, detrahendo aliquid de lucro: vocatur enim in rebus eiusmodi, etiam si minus aptum quibusdam nomen videatur, in eo qui verberauit, lucrum & quæstus: in eo qui violatus est, damnum. Cùm autem perpessio ad æquitatem reuocata est, hoc damnum, illud lucrum nominatur. Ita & eius quod amplius est, & eius quod minus, mèdium æquabilitas est. In lucro autem & damno contrario mo-

*do, plus & minus cernuntur : nam plus boni, minus mali lucrum est, cuius contrarium est damnum : quorum quidem medium æquabilitas est, quam eandem ius esse dicimus. Ergo ius illud quod ad emendandum valet, medium damni & lucri sit necesse est. Itaque cùm orta controuersia est, confugiunt ad iudicem: quòd confugere ad iudicem hoc sit, à iure præsidium petere. Profitetur enim se iudex legem esse loquentem. Conquirunt etiam iudicem omnes, qui medius sit, quem eundem nonnulli* μεσόδικον, *id est arbitrum honorarium sequestrémque appellant, quasi si quando medium cõsequantur, ius suum se putent obtinere. Medium ergo quiddam ius est, si quidem etiã iudex. Et iudex quidem ad æquabilitatem reuocat: similitérque facit, vt si linea in partes non æquas secta sit, & detrahat particulam, qua maior præstat dimidiatam, eámque ad breuiorẽ addat. Cùm ergo bifariam aliquid totum sectum est, tum suum quisque tenere se prædicat, cùm ius æquabile obtinuit. Æquabile autem ius in medio positum est eius, quod maius minúsque est proportione arithmetica. Ob eámque causam ius* δίκαιον *vocatur, quòd* δίχα, *id est diuisum sit, vt si quis vocet ius* δίχαιον: *&* δικαστὴς, *id est, iudex,* δικαστής. *Si enim res duæ pares sint, ab earúmque altera detrahatur quippiam, quod ad alteram addatur, duabus his partibus præstabit alteri. Etenim si detracta fuisset, nõ etiam addita, profectò vna modo parte superaret. Dimidium ergo superat vna parte, & ipsum dimidium superat vna id, vnde pars illa ablata est. Hinc ergo perspicere possumus & quid ei adimendum sit qui plus est cõsecutus, & quid addendũ ei qui minus. Quæ enim quisque re mediũ præstat,*

*ea addenda illi est, qui minus tulit: & qua superatur, à maxima est auferenda. Ponamus tres esse lineas æquas inter se AA, BB, CC. ab AA linea detracta, pars AE addatur ad CC lineam, appelletúrque CD. Ita tota linea DCC, lineam EA vincit parte CD, & parte CF. Ergo lineam BB parte CD vincit. Quod etiam in aliis artibus contingit. Tollentur enim funditus, nisi & quantum & quale opus efficiat artifex, tantundem ac tale is qui patitur, patiatur. Profecta sunt autem damni & lucri nomina à contractu voluntario. Nam vendendo, emendo, aliísque omnibus quæ lege concessa sunt, excolendis, & tractandis, si plus auferas quàm quod tuum sit, is demum quæstus ac fructus dicitur: sin minus quàm apud te fuit à principio auferas, damnum. At verò si neque plus neque minus abstuleris, sed eadem pro eisdem acceperis: tum se sua quisque habere cõfirmat, vt nec damnum acceperit, nec quicquam profecerit. Quare in damni lucríque medio ac moderatione ius positum est, id quidem quod non à volũtate proficiscitur, cùm & ante quàm res contrahatur, & postquam contracta est, æquabile ius obtinetur.*

Cap. 5. ATQVE *etiam in lege talionis, videtur quibusdam ius esse omnino positum: in qua sententia Pythagorei fuerunt. Definiebãt enim omnino ius esse talionis reciprocationem. Atqui lex talionis, nec ad ius quod in tribuendo cernitur, nec ad id quod emendandi causa comparatum est, accommodatur. Atqui volunt hoc quidem etiam à Rhadamantho profectum ius dicere,*

*Si quod quisque facit, idem patiatur, erit ius.*

*Multis enim id locis alienum esse videatur: veluti, si quem-*

*piam magistratus verberauerit, non est referiendus. Et si quis magistratui manus attulerit, non solùm referiendus, sed supplicio etiam coërcendus est. Præterea permultũ interest, vtrum voluntate ac sponte nostra, an inuiti quid faciamus. Attamen in communicationibus rebúsque cõtrahendis, hoc ipsum ius talionis proportione, non æquabilitate hoc de quo agimus iure concluditur. Vicissitudine enim factorum quæ proportioni congruat, Resp. continetur. Aut enim retaliari iniuriam cupiunt homines: quòd si minus contingat, seruitus videtur esse, nisi par pari referatur: Aut parem gratiam referri, sin minus, non extat ciuium cum ciuibus res suas communicandi voluntas. Atqui accipiendis reddendísque vltrò citróque beneficiis stant ciuitates. Itaque Gratiis delubra media vrbe consecrãtur, vt referatur gratia. Hoc enim gratiæ est proprium. Est enim ei qui gratificatus est referenda gratia, vt ille iterum ineat gratiam. Facit autem per diametrum extremorum coniunctio, proportione remunerationem: veluti, esto architectus A, sutor B, domus C, calceus D. Architectum igitur necesse est à sutore ipsius opus sumere, eique suum tradere. Si ergo primũ paritas proportione extiterit, deinde vltrò citróque dandi accipiendíque ratio, tum quod dixi extabit omnino: sin minus, nec æquabilitas extabit, nec societas retinebitur. Nihil enim prohibet vnius esse opus, quàm alterius præstantius. Decet igitur illa adæquari. Quod etiã in aliis fit artibus. Tollantur enim omnes funditus, nisi quãti precij, & quale opus artifex effecerit, tantidẽ & tale emat qui accipit. Neque enim ex duobus medicis constat ciuilis societas: sed ex medico & aratore,*

*atque iis omnibus qui diuerſas inter ſe ac diſſimiles, non eaſdẽ vitæ degendæ rationes ingreſsi ſunt, quos ad parilitatem decet æquabilitatémque traduci. Itaque res omnes oportet quarũ eſt contractus, quadam inter ſe ſimilitudine reſpondere. Quẽ ad vſum numus cõparatus eſt: qui quoniam omnia metitur, idcirco medium ac menſura quodammodo efficitur. Quocirca quod pluris eſt, & quod minoris metitur, vt quot tandem calcei, domus vel alimẽti precium poſsint adæquare, intelligatur. AEquum eſt igitur, vt architectus eſt ad ſutorem, tot eſſe ad domũ victúmque calceos. Si enim id minus fiat, nec inter illos pactum intercedat, nec vlla communio. Quòd ſi non ſint quodam modo paria, non contrahent. Ergo quemadmodum ſuprà dixi, vna re aliqua ponderanda ſunt & æſtimanda omnia. Idque reuera indigentia eſt, qua omnia continentur. Etenim ſi nullo egerent homines, aut non eodem modo, profectò aut nullum, aut certè non idem inter eos pactum, cõuentúmque intercederet. Sed introductus numus eſt ex inſtituto, quaſi inopiæ ac indigentiæ præſidio futurus. Ob eámque cauſam nomen duxit, quòd non à natura, ſed à νόμῳ, id eſt lege, numus ſit ortus: in nobíſque id ſit, vt mutetur reddatúrque inutilis. Futurus eſt igitur tum demum locus reliquus legi talionis, cùm parilitas æquabilitáſque ſeruabitur. Vt quemadmodum eſt architectus ad ſutorem, ſic ſutoris opus ad architecti. Non ſunt autem ad formam ac ſpeciem proportionis deducendi tum, cùm iam rem inter ſe contraxerint, (nam aliter extremum alterum vtranque præſtantiam obtinebit) ſed cùm ſua quiſque tenebit. Sic pares ſocíique futuri ſunt, propterea*

*quòd iam inter ipſos hæc ipſa æquabilitas poſsit intercedere. Eſto arator A, victus C, ſutor B, opus illius ad paritatem traductum D. Quòd ſi hoc modo non & vicißim darent & acciperent, nunquam vllam rem inter ſe contraherent. Indigentia autem hæc omnia quaſi vinculo quodam contineri hinc intelligi poteſt, quòd cùm vterque altérve nihil alterius deſiderat, contractus inter eos nullus ſolet interuenire. Quemadmodum cùm alicuius, verbi cauſa, vini penuria laborat quis, quo alter abundat, eo dato exportatur triticum: ita ad paritatem ſunt hæc reuocanda omnia. Futuri autem contractus, ſi fortè nulla re nunc nobis opus eſt, numus ipſe quaſi fideiuſſoris loco eſt nobis: qui ſi ſit opus, præſtò ſit futurus: ei enim qui illum portat, neceſſe eſt eius accipiendi poteſtas detur. Ac idem ille quidem patitur quod indigentia: (neque enim ſemper æqualis præcij eſt) ſed tamẽ permanere poteſt diutius. Itaque debent rerum omnium certa eſſe precia: ſic enim contractus futuri ſunt ſempiterni: qui quandiu futuri ſunt, tandiu futura eſt hominum inter ipſos ſocietas & communio. Numus igitur tãquam norma & regula, res aptè cùm dimenſus eſt inter ſe, tum adæquat eas, ad paritatémque traducit. Neque enim ſublato contractu, conſiſtere ſocietas vllo modo poteſt: neque cõtractui, loci aliquid relinquitur, æquitate ſublata, neque æquitati, ſine apta quadam rerum inter ſe menſura & compoſitione. Ac verè, vt dicam, nõ poſſunt res tam inter ſe diſsimiles, vllo modo aptè inter ſe componi: ſed quantum ſatis ſit ad vſum neceſsitatémque, poſſunt. Vnum ergo aliquid neceſſe eſt adhiberi, idque inſtituto. itaque numus vocatur: nam omnia aptè componit:*

ſiquidem nummo omnia ponderantur. Eſto domus A, libræ decem B, lectus C. atque A ſit ipſius B dimidium, vt domus quinque pondo aut tantidem æſtimetur: C autem, id eſt lectus, nummo æſtimatus, pars ſit decuma ipſius B: perſpicuum eſt quidem lectos quinque domus æquare precium. Hoc etiam apparet, hanc rerum contrahendarũ rationem, antequam nummus inuentus eſſet, fuiſſe ſeruatam. Nihil enim intereſt, vtrũ lecticæ quinque pro domo, quãti quinque lecticæ valent, dentur, an pecunia. Ac quid iniuſtum ſit, quidque iuſtũ, diximus. Quibus expoſitis, perſpicuum eſt, iuſtè agere, medium eſſe, inter facere, & accipere iniuriã: quoniam illud eſt plus adipiſci & obtinere, hoc minus. Sed iuſtitia mediocritas eſt illa quidem, non tamen quomodo ſuperiores virtutes, ſed quia ad medium, id eſt æquabilitatẽ pertinet. At verò iniuſtitia in vtroque extremo poſita eſt. Iuſtitia etiã virtus eſt, qua quis aptus eſt, & propenſus ad ea animi iudicio præſtanda omnia quæ iuſta ſunt, officiáque tribuenda & ſibi, ſi cum altero: & alteri, cum altero ſi conferatur: non ita tamen, vt ſibi plus emolumenti, proximo minus, damni autẽ contrà: ſed vt ſuum cuique proportione tribuat. Itémque alij ad alium. Cõtráque iniuſtitia in iniuria verſatur, quæ eadẽ emolumenti ac detrimenti amplificatio & imminutio eſt præter iuſtam proportionem. Itaque nimium & parum iniuſtitia eſt, propterea quòd in exuperantia & defectione conſiſtat. Ac in ſua quidem cauſa, ſi agatur vtilitas, modum egreditur: ſin detrimẽtum, deeſt moderationi. At ſi res aliorum agatur, in vniuerſum quidem ſimiliter facit: quòd verò attinet ad extrema, quæ ſunt extra proportionem citra vllam ratio-

*nem temerè in vtrunque declinat, ita vt modò plus, modò minus tribuat. In iniuria autẽ quod minus eſt, accipere iniuriam: quod autẽ maius, facere dicitur. Ac de iuſtitia & iniuſtitia, quæ tandẽ vtriuſque vis ſit & natura, itémq; de tcto genere iuris & iniuriæ, ſatis multa dicta eſſe arbitror.*

QVONIAM *autem fieri poteſt, vt quis iniuriam faciat, nec ſit ipſe iniuſtus: quam tandem iniuriam inferendo in quoque iniuſtitiæ genere, iam iniuſtus habeatur, vt adulter, aut fur, aut latro, ánne ſic quidem interſit, quæſtio eſt. Nam qui non animi iudicio vel ratione, verùm animi perturbatione ducatur ad contrectandã mulierem, ſciens quam cõtrectet, faciat ille quidem iniuriam, ſed tamen nondum ſit iniuſtus: quemadmodum nec fur, qui furatus eſt, nec adulter qui adulteratus, itémque in cæteris. Ac iam quidem ſuprà, quam rationem lex talionis ad ius haberet, explicauimus. Hoc autem ignorare nõ debemus, ad ius quod quærimus, & omnino ius, & ciuile eſſe. Ius autem ciuile eſt, quod in ſocietate & cõmunione vitæ poſitum, eò adhibetur vt vel proportione, vel numeri ratione abundè omnia ſuppetant inter homines liberos, & æquales. Itaque inter quos hoc non eſt, inter eos ius ciuile nõ eſt, ſed quoddam par ac ſimile. Inter quos enim iuris communio eſt, inter eoſdem etiam communio legis eſt. Inter quos porrò eſt communio legis, inter eoſdem iniuſtitia eſt. Iudicium enim, iuſti ac iniuſti diiudicatio eſt. Inter quos autem iniuſtitia eſt, inter eos iniuriæ faciendæ cõmunio eſt. Quibus autem inter eos iniuriæ faciendæ cõmunis ratio eſt, non eſt etiam inter eos omnes communio iniuſtitiæ: quæ quidem tum eſt, cùm ſibi ipſi plus eorũ quæ bona ſunt tribuit,* Cap. 6.

*& quæ mala ſunt, minus : idcirco non hominem imperare ſinimus, ſed rationẽ, quòd hæc ſibi ille ſumit, fitq; tyrãnus. Eſt autẽ cuſtos cõſeruatórq; iuris, princeps: quòd ſi iuris & æquabilitatis. Et quoniã ſi iuſtus ſit, nihil ſibi præterea ſumit & attribuit (neque enim ſibi plus tribuat, quàm aliis, eorum quæ per ſe bona ſunt, niſi habita ratione dignitatis) idcirco quæcũque agit, ad aliorũ cõmoda refert. Ob eámque cauſam, in bonis alienis, vt ſuprà diximus, iuſtitiã numerant. Danda igitur merces aliqua eſt: quæ cùm ſint honor & gloria, quibus hæc non ſunt ſatis magna præmia, ij efficiuntur tyranni. Ius autem domini in ſeruos, vel patris in liberos, non idem quod illa, eſt: ſed ea imitatur. Neque enim in res ſuas locus eſt iniuriæ. Atqui ſerui ac liberi quoad adoleuerint, diuiſíque ſint, in membris patris ſunt habendi : & ſibi nemo vult obeſſe. Ideóque non eſt cuiquam erga ſeipſum iniuriæ locus. Neque ergo ad ius ciuile aut iniuriam pertinent. Hæc enim lege diximus conſtare, intérque eos omnino locum habere, inter quos natura legis communio eſt. Qui quoniam ſunt ij, inter quos æquabilis quædam eſt imperandi parendíque viciſſitudo, idcirco inter virum & vxorẽ potius, quàm inter patrẽ & liberos, dominũ & ſeruum cõmunio iuris eſt: nam hoc ius eſt quod domeſticum & familiare dicitur, aliud eſt atque ciuile.*

Cap. 7. CIVILE *autem ius aliud naturale eſt, aliud legitimũ. Naturale eſt, cuius vis idẽ apud omnes valet, nõ quòd ſic videatur, aut ſecus. Legitimũ autẽ id appellatur, quod initio nihil interfuit, ſic an ſecus fieret: cũ autem latũ poſitúmque eſt, iã intereſt, veluti captos mina redimi, aut caprã immolare, nõ duas oues: præterea quæ lege cauta ſunt de rebus ſin-*

*gulis, vt Braſidæ ſacra facere, & quæ publicis decretis ſancita ſunt. Atq; omnia iura quorũdã quidẽ opinione, in hoc ſecũdo genere ſunt: propterea quòd ea quæ naturalia ſunt, immutabilia ſunt, & vbique idẽ valẽt (vt ignis & hîc & apud Perſas vrit.) iura autẽ mutari videtur. Sed nõ ita eſt omnino, verùm quodãmodo. Nam apud Deos quidẽ certè nuſquã mutabile eſt, quod natura eſt inſitũ: apud nos autem quædã certè à natura inſita & tributa mutãtur: etiãſi non omnia. Sed tamẽ aliud natura cõſtat, aliud nõ natura. Quæ autẽ cùm ſint naturæ, ſecus etiã atque ſunt, euenire poſſint, quæque nõ natura, ſed lege & pacto cõſtẽt (ſiquidẽ vtrũque mutari poteſt) hinc perſpici licet: atque ad cætera omnia eadẽ ratio accõmodabitur: quòd cùm robuſtior ſit dextra natura, tamẽ fieri poteſt, vt omnes vtraque pro dextra vtãtur. At iura ea, quæ hominum inſtituto cõſtãt & vtilitate dirigũtur, ſimilia ſunt mẽſuris omnia. Neque enim vbique terrarũ æquæ ac pares ſunt vini triticíque mẽſuræ: ſed quo in loco emũtur, maiores: vbi venduntur, minores. Itémque iura non naturalia, ſed humana nõ idẽ vbique valẽt: quãdo ne ciuitatis quidem regẽdæ ratio vna eſt: eſt tamẽ vna quædã, quæ vbique optima ſecũdum naturam ducitur. Iura autem & legitima iura ſunt, vt res vniuerſæ ad ſingulas. Quæ enim gerũtur, multa ſunt: illorũ vnũquodque vnum, quoniã vniuerſum quid & totum eſt. Differt autem ab eo quod iniuſtum eſt, iniuria: & rectè facta ab eo quod iuſtũ eſt. Quod enim iniuſtum eſt, omne eſt, vel natura, vel inſtituto: quod ipſum poſteaquam factum eſt, iniuria dicitur: prius quàm geſtum ſit, nõdum iniuria eſt, ſed iniuſtũ: quòd cùm factum eſt, iam iniũria nominatur. Eadem eſt*

*ratio rectè iustéque factorum. Sed tamen quod generale est, magis* δικαιοπράγημα *dicitur: &* δικαίωμα *iniuriæ emendatio & compensatio. Quorum omniũ quæ, quótque sint genera, quibúsque in rebus versentur, mox perspiciemus.*

Cap. 8. SED *cùm ea quæ iusta sunt, quæque iniusta, ea sint, quæ exposuimus: tum quisque facit iniuriam, æquúmque facit, cùm voluntate sua facit: cùm inuitus, nec iniuriã cuiquam infert, nec æquum facit, nisi fortuitò, quòd ea gerat, quibus vt iusta sint & iniusta, accidit. Atqui voluntate iniuria, & rectè facta definita sunt. Cùm enim à voluntate proficiscitur, tum & invitio est, & simul iniuria est. Ergo aliquid iniustum est, quod non idem iniuria est, nisi volũtas accesserit. Dico autem voluntariũ id, quod in sua quisque, vt dixi, potestate positum, sciens agit, nec eum ignorat, in quo versetur actio, nec quo quasi instrumento rem agat, nec finem ipsum: vt verbi causa, quem verberet ac pulset, quóque instrumento, quáque de causa pulset. atque illa non casu aut vi faciat, veluti si quis arrepta manu alterius alium pulset, non faciat ille sua voluntate: quandoquidem in eo id situm non est. Fieri etiam potest, vt & pater pulsetur, & is qui pulset, illum esse hominem, aut quempiam eorum qui adsunt, sciat: patrem autem esse nesciat. Quod idem & in fine, & in tota actione considerandum est. At verò quod quisque ignorat, aut si minus ignorat, at certè non est in eius potestate, aut vi coactus facit, id omne inuitus facit. Multa enim eorum etiam quæ naturæ necessitas afferat, sciẽtes & gerimus & sustinemus: quorum nihil nec voluntarium est, nec non voluntarium: quo in genere est mors & senectus. Cadit autem pariter in iusta,*

*& iniusta illud per accidẽs. Etenim si reddat depositum quis inuitus aut metu coactus, is non dicendus res iustas facere, nec iustè agere, nisi fortuitu & casu. Itémque qui coactus, aut inuitus depositum non reddiderit, dicẽdus est non propriè iniuriam facere & agere, quæ iniusta sunt. Eorum autem quæ volũtaria sunt, partim consultò, partim inconsultè facimus. Consultò, cùm antegressa est deliberatio: inconsultè, cùm nõ est antegressa deliberatio. Cúmque in vitæ societate tria genera cernantur incommodorum, peccata imprudẽs quis admittit, cùm admiserit in eum de quo nil tale cogitarat, nec quo id instrumẽto ageret, neque quid, quáque de causa perficeret. Aut enim voluit nõ pulsare, aut non quo pulsauit, aut non eum quem pulsauit, aut nõ ea de causa quæ existimatur, sed fortè fortuna accidit secus ac putarat, veluti non vt vulnus infligeret, sed vt pungeret: aut non quem putarat, aut non quemadmodum. Cùm ergo inopinatò damnum adfertur, infortunium & casus dicitur: cùm autem non inopinatò, sed sine dolo & malitia, peccatum nominatur. Tum enim peccat quisque, cùm in eo inclusum causæ principiũ est. Infortunium autem infligit, cùm extrinsecus principium adhibetur. At cùm sciens, nec tamen consultò aut cogitatò, iniuria dicitur: quo in genere ea sunt omnia, quæ ira aut alia animi perturbatione fiũt, ea quæ vel necessariò, vel à natura tributa est mortalibus. Nam qui his incitati, nocent aliis ac delinquunt, faciunt illi quidem iniuriam, sed tamen non idcirco sunt iusti vel improbi habendi. Neque enim nocẽdi causa de industria illata iniuria est. At verò cùm cõsultò & cogitatò fit iniuria, tum quisque iniustus & im-*

*probus habetur. Itaque rectè eà quæ per irã fiunt, nõ ex cõ-silio iudicantur: quippe cùm nõ is author ac caput mali sit, qui ira incitatus facit, sed qui incitauit. Præterea non id agitur, vtrum factũ sit nécne, sed vtrum iure, quoniam ira quãdam speciẽ fert iniuriæ. Neque enim hîc de facto cõtro-uersia est, sicut in cõuentionibus hominũ inter se, in quibus necesse est alterũ esse in vitio, nisi obliuione impediti id fa-ciant, sed concesso facto, omnis de iure controuersia est. At qui dolum adhibuit, is nõ facit imprudens. Itaque alter sibi putat iniuriã factam, alter nõ putat. Quòd si de industria noceat, facit iniuriã: & qui has iniurias infert, is quoniam cõtra dignitatem & æquitatem facit, iniustus est habẽdus. Itémque iustus is, qui animi iudicio & cõsyderatè rem iustã gerit. Iustè autem facit, si modò spõte. Quæ autem iniuriæ à volũtate nõ proficiscuntur, earum aliis ignoscẽdum est, aliis non est. Iis enim omnibus, quas homines non solùm faciunt imprudẽtes, verum etiã per imprudẽtiam, dãda venia est. Quas autẽ inferũt nõ per imprudẽtiam, sed imprudentes, perturbationibúsque animi incitati, quæ nec naturales sint, nec naturam attingãt humanam, non est iis ignoscendum.*

Cap. 9. SED *hîc quærat aliquis, satísne accuratè de accipien-da faciendáque iniuria disseruerimus? Ac primùm, vtrum sic est, vt Euripides absurdè tradidit,*

„ *Quid sit qur gnatus matrem occiderim meam?*
„ *Breuis quidem non longa sit defensio,*
„ *Sponte volentem, vel volentem non volens.*

*Vtrum enim potest quis verè iniuriam voluntate sua acci-pere, nécne potest? sed totum hoc nõ volũtarium sit, quem-admodum facere iniuriam, volũtatis? & vtrum totum est*

*huius vel illius generis, quemadmodũ omnis est iniuriæ voluntaria illatio. An verò partim voluntatis est, partim non est? Quod idem de patiẽdo iure quæri potest: nã iustè agere, omne à voluntate proficiscitur. Itaque cõsentaneum est eodem modo sua contraria respicere ista duo, iniuriam accipere, & iura pati, vt sit vtrũque volũtatis, aut neutrum. At enim si omnis iuris patiẽdi ratio volũtaria sit, absurdum esse videatur. Sunt enim quibus inuitis ius suum tribuitur. Nam hoc etiam cuipiam dubiũ videatur, vtrũ qui iniustè aliquid toleret, etiam accipiat iniuriam? an verò vt in faciendo, sic in perferendo est? Casu enim fieri potest, vt iuris & agendo & patiẽdo quisquam sit particeps. Quod idẽ scilicet in rebus iniustis fiet. Neque enim idẽ est, quæ iniusta sunt facere, quod iniuriã facere: nec quæ iniusta sunt ferre, quod accipere iniuriam. Eadémque est ratio tribuẽdi accipiẽdíque iuris: vt enim iniuria accipi nõ potest, nisi sit qui inferat: sic nec ius tribui, nisi sit qui tribuat. Quòd si iniuriã facere, nõ est aliud omnino, nisi spõte nocere quempiam alteri: ac spõte quidem ita, vt sciat & cui noceat, & quamobrẽ, & quo quasi instrumẽto noceat: impotẽtes autem sponte ac voluntate sua de se ipsi malè merẽtur: efficitur, vt sponte accipiatur iniuria, & sibi quis spõte iniuriam inferat. Est autẽ hoc vnũ eorũ quæ quærebamus, vtrũ fieri possit, vt quis sibi ipse faciat iniuriã. Iam verò spõte etiam aliquis per animi impotẽtiam incommodum ab alio qui paratus est dare, accipiat. Ergo fieri potest, vt voluntate sua quis iniuriam accipiat. An nõ vera est definitio, addẽdúmque est præter illa (obesse quempiam scientem cui noceat, quare, quóque modo noceat) contra illius cui obsit volun-*

*tatem? Incommodum igitur quis ſponte accipit & rem iniuſtam perfert: at iniuriam nemo ſpõte ſua accipit. Nemo enim vult, ne impotentes quidem: ſed quicquid faciunt, id omne cõtrà ac volũt, faciũt. Neque enim vult quiſquam, quod ſibi bono eſſe non arbitretur. Et impotens animi facit quod ſentit, non eſſe faciẽdum. Nec verò qui ſua dedit (quemadmodum Homerus ait de Glauco, qui cum Diomede permutauit,*

„ *Aere laboratis auro radiantia, nouem*

„ *Aeſtimata bubus pro fortè valentibu' centum)*

*Iniuriam accipit, quandoquidem vt det, in ipſius ſitum eſt poteſtate. At non eſt in cuiuſquam ſitũ poteſtate, vt iniuriam accipiat, ſed alter ſit oportet qui inferat. Illud ergo iam apparet de accipienda iniuria, eam non eſſe voluntatis. Iam verò hîc explicare liceat duo ex iis quæ ad hoc noſtrum inſtitutum pertinent, vter tandem iniuriam facit, iſne qui plus tribuit contra dignitatem, an is cui diſtribuitur. Et vtrũ fieri poteſt, vt quiſpiam ſibi ipſe iniuriã inferat. Si enim ita ſit illud quod prius dictum eſt, atque is qui diuidit, non qui accipit nimium, facit iniuriam ſi quis alteri plus tribuat quàm ſibi, ſciens & prudẽs (id quod vſuenit modeſtis, ſi quidem vir bonus de iure ſuo decedere ſolet) is profectò de ſe ipſe malè meretur. An ne hoc quidem ſimplex eſt? Plus enim ſibi ſumit alterius boni, vt gloriæ, ſi ita res ferat, vel eius quod omnino bonum eſt. Adde quòd ſolui etiam illud poteſt per definitionem, quæ de inferenda iniuria propoſita eſt. Nihil enim ei accidit cõtra ipſius voluntatem. Ergo non ſi minus ſumat, idcirco accipiat iniuriam, ſed ſolùm afficitur incõmodo. Hoc verò etiã apparet,*

*eum qui diuidit ac dispertit, inferre aliis iniuriam: nõ eum semper, qui plus quàm cæteri adipiscatur. Neque enim in quo inest quod iniustum est, is iniuriam facit, sed is qui hoc efficit sua volũtate. Hoc autem in eo est vnde sumit initium actio, quòd in eo est qui diuidit, non in eo qui accipit. Præterea si faciendi multi modi sint, fieri potest, vt & res inanimæ, & manus & seruus iussu domini interficiant, nec tum faciant iniuriam, cùm interim res iniustas faciant. Præterea si quis imprudens & ignarus iudicium tulit, nõ faciat ex iure legitimo iniuriam: nec sit illud iniquum iudicium, quanquam sit tanquam iniquum. Aliud enim ius est legitimum, aliud primum. Sin autem sciens & prudens iudicium iniquum interposuit, iniustus habẽdus est, quòd ad eum plus peruenerit vel gratiæ vel vindictæ. Perinde igitur ac si in partẽ venerit sceleris & iniuriæ, is qui his de causis iniquum fert iudicium, plus adipiscitur. Nam cùm fundum alicui adiudicauit, nõ agrum accepit, sed argẽtum. Homines autem in sua esse potestate putant, vt faciant iniuriam. Itaque facilè aiunt virum iustum effici: sed nõ ita est. Nam & cum vicini vxore cõcumbere, & verberare proximos, & largiri manu argẽtum, facile est, & in eorum situ potestate: at verò ita animo affectos hæc ipsa præstare omnia, neque facile est, neque vt ita efficiant, in eis situm est. Similitérque & quæ iusta sunt cognosse, & quæ iniusta, in nulla parte sapientiæ ponunt: propterea quòd non sint difficilia cognitu ea quæ iubent leges, aut vetãt. Sed tamen non sunt hæc ipsa in iustis numeranda, nisi fortuitò: verùm ita demum iusta sunt, si quodam modo gerantur, certóque genere tri-*

*buantur. Quod quidem præstare multo maioris negotij est, quàm quæ salubria sunt, tenere, & comprehendere. Nam illic etiam mel quid sit, quid vinum, elleborus, adustio & incisio, facile est intelligere: at ea quemadmodum accommodatè ad valetudinem adhibenda sint, & cui, & quando, tam difficile est quàm verè medici nomen obtinere. Ob eámque causam iusti viri aiunt esse nihilo minus facere iniuriam, quòd nihilo minus, aut facilius potius hæc omnia præstare possit. Etenim & contrectare mulierem posse, & violare alios iustum hominem, & fortem clypeum abiicere, & dato tergo quo libuerit, fuga elabi. At ignauum se præstare & iniuriam facere, non est illa quidem efficere, nisi fortuitò, sed si quis animo certo quodam modo affectus ea faciat. Vt mederi & curare, nõ est incidere aut non incidere, curationem adhibere aut non adhibere: sed certo quodam modo hæc ipsa præstare. Inter eos autem iuris societas est, inter quos eorum quæ omnino bona sunt, communio est: vt interim locum in iis habeat exuperãtia & defectio. Nam in quibusdam, vt certè in Diis, non est eorum bonorum immoderata copia. Aliis autem, vt insanabilibus & deprauatis hominibus nulla ex parte sunt vsui, sed obsunt omnia, aliis prosunt aliqua ex parte: ob eámque causam hùmanum hoc appellatur.*

Cap. 10. SEQVITVR vt de æquitate æquóque & bono disseramus: quam tandem æquitas ad iustitiam rationem, quam æquum & bonum ad ius habere videantur. Non enim si qui diligenter velint exquirere, omnino ad idem aut diuersum genus pertinere videbuntur. Interdum æquum & bonum laudamus, atque eum hominem, qui eo præditus

*eſt: adeóque ipſum in laude ſolemus, interim in aliis rebus pro bono vſurpare: atque idem melius eſſe iudicamus: aliàs alienum videatur iis qui rationem conſectantur, æquum & bonum, quòd ab eo quod iuſtum eſt alienũ ſit, eſſe laudabile. Aut enim ius bonum non eſt, aut æquum & bonum ſi aliud eſt: aut ſi ambo ſunt in bono, eadem ſint neceſſe eſt. Atque hæc quidem ex his rationibus de æquo & bono, exorta quæſtio eſt. Quæ cõſentanea ſunt omnia quodam modo, nec vlla ex parte inter ſe pugnant. Nam æquum & bonum cùm ſit aliquo iure melius, tum ius ipſum eſt: nec iam quaſi ad genus quoddam aliud pertineat, iure eſt præſtantius. Idem eſt igitur ius quod æquum & bonum. Etenim cùm ſint ambo in bonis, tamen præſtat multo æquum & bonum. Sed hoc dubitationem habet, quòd cùm æquum & bonum ius ſit, non tamen ius legitimum eſt, ſed iuris legitimi emendatio. In cauſa eſt, quòd lex eſt generalis omnis: quæ quoniam de toto genere nonnullarum rerum commodè loqui non poteſt, cùm ſit neceſſe de toto genere dicere, nec id effici rectè poſſit, id vnum accipit & deſignat: quod plerunque ſolet contingere, non ignara peccati, & tamen rectè lata eſt: quippe cùm culpa ſit non legis quidem nec legiſlatoris, ſed rerum agendarum naturæ, quæ ſtatim eſt eiuſmodi. Cùm ergo de toto genere lex dicit, atque aliquid iis in rebus contra generalem legis comprehenſionem exiſtit: tum percommodè accidit, vt qua parte ſcriptor legis aliquid prætermiſit ac peccauit, omnino ac ſemel locutus, id quod prætermiſſum ſit, corrigatur. Quod etiam legiſlator, ſi adeſſet, admoneret, de eóque ſi ſciuiſſet, legem tuliſſet.*

*Itaque est ius illud quidem, & quodam iure præstantius, nõ eo tamẽ quòd omnino ius est, sed eo quòd propter peccatum generale à perfecto aberrat. Atque in hoc vis omnis æqui & boni posita est, vt correctionem quandam legi adhibeat, quia ab ea abest aliquid propter generalem sine exceptione comprehensionem. Cur enim lege non caueantur omnia, causa est, quòd de quibusdam omnino lex ferri nõ potest. Quocirca decreto opus est. Incertæ enim rei ac infinitæ, incerta semper & infinita quærẽda regula est: vt Lesbiæ structuræ plumbea norma solet accommodari. Vt enim lapidis mutata forma & figura, simul mutatur, nec manet regula: sic rebus vt quæque interueniũt, accommodata esse debent decreta. Ac iam illud quidem perspicuum est, quid sit æquum & bonum, quídque ius, & quo sit iure præstãtius. Ex quo etiã apparet, quis sit bonus vir. Nam qui hæc sequitur, gerítque omnia, quíque non est in malã partem iudex durior, sed de summo iure decedit, etiã si habeat legis præsidiũ, is æquus & bonus est habẽdus. Et habitus in hoc genere æquitas & bonitas nominatur, quæ eadem iustitia dicitur, non alius animi habitus.*

Cap. II. EX *iis autem quæ dicta sunt, perspicuum est, vtrum quis sibi ipse iniuriam facere, nécne potest. Ea enim iusta habenda sunt, quæ in omni virtute lege sunt constituta: vt non iubet lex mortem sibi quenquam consciscere. At quæ non iubet, ea profectò vetat. Præterea vt quisque contra leges nocet cuipiam, non lacessitus, ita sponte inferre iniuriam dicitur. Sed ita demum sponte ac voluntate sua quisque facere intelligitur, si sciat & cui iniuriam faciat, & quo modo. Qui autem ira incitatus se ipse interimit, is*

*ſponte contrà leges facit, quod leges non ſinunt. Infert igitur iniuriam. Sed cui tandem? An Reip. non ſibi? quandoquidem ſua voluntate fert mortem, nec quiſquam ſponte iniuriam accipiat. Itaque & à Repub. pœna conſtituta eſt, & ignominia quædam comparata in eum, qui ſe ipſe interfecerit, tanquam violarit Rẽp. Iam verò in quo quiſque, iniuſtè faciens, iniuſtus modò habetur, non omnino improbus: in eo fieri non poteſt, vt de ſe quiſque malè mereatur. Hoc enim aliud eſt, atque illud. Eſt enim quodammodo, iniuſtus vir, ſic improbus, vt ignauus: non vt is qui omni ſcelere ſit contaminatus. Quapropter hac iniuſtitia nemo ſibi faciat iniuriam, quoniam ſimul eidem, & adimeretur idem, & adderetur: quod fieri non poteſt, ſed inter plures iuris & iniuriæ neceſſe eſt ſemper eſſe communionem. Iam tum quiſque alterum violat, cùm & ſponte violat, & conſultò, & prior. Nam qui ab altero violatus, par refert, is iniuriam minimè facere videtur. Qui autem ſibi ipſe iniuriam facit, eandem iniuriam ſimul & facit & accipit. Præterea fieret alicui voluntate ſua iniuria. Adhæc nemo quenquam violat, quin illa iniuria vno quodam genere ex iis quæ ſingulatim appellantur ſuo quodam nomine, contineatur. Atqui nemo vxori ſuæ inferre ſtuprum dicitur, nemo parietem ſuum diruere, nemo ſua furari. Et vt ſemel dicã, hoc ipſum ſibi quenque nocere, omnino diluitur ac refellitur, ea quæ de ſponte facienda iniuria tradita eſt, definitione. Illud autem etiam apparet, vtrunque facere & accipere iniuriam, eſſe in malis, quoniam hoc eſt minus, illud plus obtinere, quàm quod medio continetur: ſicut malũ eſt in medicina, quod à ſalubri diſ-*

*cedit, in gymnastica, quòd à bona corporis habitudine est alienum: sed tamen grauius est facere iniuriam. Violare enim alterum, cum scelere coniunctum est, & vitio dandum, ac cum scelere vel summo, vel ei proximo. Non enim quicquid volũtarium est, id omne cum iniustitia coniunctum est. At verò iniuriã accipere, culpa caret, nec cõiunctum est iniustitiæ. Est igitur per se leuius iniuriam accipere: casu & fortuitò nihil prohibet esse grauius. Sed hæc pars negligit omnia, quæ grauiorem morbum pleuritidem statuit, quàm pedis offensionem, quanquam possit hæc fortuitò maior existere: vt si quis ex casu ab hostibus captus interimatur. Porrò autem per similitudinem & translationem quandam ius quoddam esse dicitur, non nobis in nosipsos, sed aliquarum partium in alias nostri partes: neque id ex omnis iuris similitudine ducitur, sed ex iure, quod est domini in seruos, vel domesticum. His enim rationibus quidem differt maximè pars animi, quæ rationis est particeps, ab ea quæ expers est. In quæ intuentibus, videbitur posse quis sibi iniuriam facere, quòd hæ partes aliquid perpetiantur cõtra suas quæque appetitiones. Quare inter eas, vt inter eam quæ imperet, & eam quæ obtemperet, iuris cuiusdam esse communionem. Ac de iustitia quidem cæterisque virtutibus, quæ ad mores pertinent, hactenus.*

# ARISTOTELIS
## ETHICORVM LIB. VI.

QVONIAM antẽ ſuperioribus libris dixi modũ tenẽdũ eſſe, nõ exuperãtiam & defectionẽ à ratione, quoniámq; modus is optimus eſt, quẽ recta præſcribit ratio: nũc de his ſequitur, vt diſſeramus. Vt enim in aliis rebus quidã eſt ſcopus propoſitus, quẽ is intuẽs, qui ratione ducitur ad agẽdũ, aut cõtẽtionem, aut remiſsionẽ adhibet: ſic iis omnibus animi affectionibus, de quibus dixi: atque finis quidã eſt mediocritatũ, quas nos inter nimiũ & parũ ſitas eſſe ex præſcriptione rectæ rationis dicimus. Quæ vera eſt illa quidẽ oratio, ſed parũ aperta & explicata. Etenim cæteris in rebus omnibus quarũ eſt diſciplina, hoc verè licet dicere, nõ plus minúſue laboris & quietis, quàm ſat ſit, ſuſcipiẽdũ eſſe: verũ modum in iis tenendum, quem recta ratio præſcripſerit. Verùm qui hoc ſolùm teneat, nihilo ſit doctior, aut prudentior futurus. Nõ magis quàm ſi dum quæruntur, quænam valetudini conducánt, aliquis reſpondeat, ea omnia quæ medicina iubeat, atque is qui ea ſit prædítus. Quapropter nõ ſolùm verè cõſtare debent, quæ de animi affectionibus diximus: ſed explicãdum etiam, quænam recta ratio ſit, quæque eius definitio. Animi quidẽ virtutes diuiſimus, aliáſque moris diximus, alias eſſe rationis. Ac de iis quæ more perficiuntur, diſſeruimus. De cæteris autem dicemus, ſi Cap. 1.

*prius de animi partibus dixerimus. Suprà dictũ est, duas esse partes animi, alteram rationis participem, expertem alteram. Nunc eodem modo, ea pars quæ compos est rationis, distribuenda est. Atque nobis illud initio subiiciendum, duas esse partes rationis participes: vnã, qua res contemplamur eas, quarum principia secus euenire non possunt: alteram, qua eas quæ possunt. Ad ea enim quæ genere differunt intelligenda, partes animi genere differentes rectè attribuuntur: siquidem eis rerum inest cognitio similitudine quadam & conuenientia. Appelletur autem altera vis sciendi, ratiocinandi colligendique altera: quoniam deliberare & ratiocinari idem valent. Et quoniam de iis nemo consultat, quæ secus ac casura sunt, cadere non possunt: idcirco pars est vna aliqua vis ratiocinandi eius partis animi, quæ rationis est particeps. Videndum est igitur, quis tandem sit vtriusque habitus optimus, quoniam in eo vtriusque virtus cernitur, & ad suum quæque virtus opus officiúmque accommodatur.*

Cap. 2. SVNT autẽ *in animo tria, quæ in actione ac veritate dominãtur, sensus, mens, & appetitus, quorũ sensus nullius est initiũ actionis. Quod ex eo intelligitur, quia belluæ sunt illæ quidẽ sensus participes, actionis autẽ nõ sunt. Quã autem vim habẽt in mente affirmatio & negatio, eãdem etiã habent in appetitu adeptio & fuga. Quare quoniam virtus quæ more perficitur, habitus est cum electione coniunctus: electio autem appetitio est, quã antegressa est deliberatio: necesse est ob eam causam & veram esse rationem, & rectum appetitum: siquidem rectum sit propositum: ac eadem quæ ratio iudicarit, appetitionem persequi. Atque*

illa quidem est mentis actio, & veritas quæ ad actionem pertinet. At verò mentis eius quæ cognitione cernitur, non actione, aut effectione, omnis est in falsi verique cognitione posita præstantia & vitiositas. Omnis enim rationis ac mentis, hoc opus propriũ est. Cuius verò mentis omne opus in agendo, & in ratiocinando est, propria est appetitioni rectæ cõgruens veritas. Est igitur actionis omnis principiũ electio, vt ex quo motio nascitur, nõ vt finis & extremum. Eligendi autem principium ab appetitione petendum est, eáque ratione quæ ad finẽ pertinet. Quocirca nec sine intelligentia & mente, nec sine appetitione quæ sit moribus confirmata, esse proposítum nullo modo potest. Sublata enim mente & more, honestè factis & contrariis inter actiones humanas nihil loci relinquitur. Nihil autem ratio ipsa per se commouet, sed ea quæ ad finem spectat, éstque in agendo, quippe cùm ei etiam cuius omne opus est in faciẽdo, imperet. Ad hãc enim omnes, qui effectionem sequuntur, quæ faciunt, referunt omnia : nec finis in eo statuitur omnino, quod sub ~~effectionem~~ cadit, ~~ipsúmque~~ aliò semper refertur: estq; alterius propriũ. At quod sub actionem cadit, nõ item. Est enim officij rectéque factorum omniũ fructus ac finis ipsum officium, ad ipsum autem finem appetitio refertur. Quapropter aut intelligentia appetitioni cõiuncta est propositũ, aut appetitio à ratione profecta. Atque illud principiũ est, à quo homo maximè est homo. Eorum verò quæ præterita sunt, omnino nihil sub delectum cadit. Veluti nemo constituit Ilium expugnasse : nec enim quisquã de præteritis deliberat, sed de futuris, iisque adeò, quæ fieri possunt. Quod autem factum est ac præteriit, nõ

*potest non factum esse. Itaque præclarè hoc Agatho,*

„ *Tantùm Dei illud est negatum numini,*

„ *Præterita præstet nullo vt facta tempore.*

*Vtrique ergo parti rationis cogitationisque participi, proprium opus est veritas. Quibus igitur animi affectionibus vtraque pars verum maximè enunciat, eæ ambarum sunt virtutes habendæ. De quibus disseremus, si altè principium repetierimus.*

Cap. 3. SINT *igitur quinque quibus animus verũ enũciat, vel affirmãdo, vel negãdo, ars, scientia, prudẽtia, sapientia, & intelligẽtia. Fieri enim potest, vt falsum suspicione & opinione dicatur. Ac scientia quidẽ quid sit, hinc perspicuum est (si accuratè disputare, non cõsectari similitudines placet) quòd omnes existimamus, quæ scimus, secus euenire nõ posse. Quæ autẽ aliter possunt, ea cùm absunt à cognitione & cõtemplatione, sint, nécne sint, incertum est. Quod ergo sub scientiam cadit, id omne necessariũ est, ideóque æternum. Quæ enim necessariò eueniũt, sunt sempiterna omnia. Quæ autem æterna sunt, eadem oriri, & interire non possunt. Præterea scientia omnis doceri videtur posse: & quicquid sub scientiam cadit, doceri. Atqui ex anteceptis animo rei informationibus, quemadmodum in Analyticis docuimus, omnis doctrina gignitur. Alia enim inductione, alia ratiocinatione traditur. Ac inductione quidem principia & vniuersa discuntur: ratiocinatio verò principiis generalibus & vniuersis conficitur ac progreditur. Sunt ergo principia quibus constat ratiocinatio, quæ eadem concludi ratiocinatione non possunt: ergo inductione possunt. Est igitur scientia habitus demonstratiuus, & cætera omnia*

*quæ in libris Analyticis explicauimus. Cùm enim assentitur quisque quodá certo genere, habétque penitus cognita principia, tum scire ac tenere rem dicitur. Etenim si ea non habeat magis cognita, quàm conclusionem, fortuitam habebit scientiam. Ac de scientia quidem sic dictum sit.*

QVOD *autem aliter cadere potest, eius est aliquid,* Cap. 4.
*quod sub effectionem, & aliquid quod sub actionem cadit. Estque aliud artis effectio, aliud actio. De quibus etiã in ἐξωτερικοῖς disputationibus satis multa præcepimus. Itaque & habitus is, qui in agendo cum ratione est, ab eo differt, qui rationem ducem in faciendo sequitur, & neuter ab altero continetur. Neque enim actio effectio est, neque effectio vlla actio. Et quoniam architectura quædam ars est, & habitus quidem cum ratione in faciendo positus: neque ars vlla est, quæ non sit habitus cum ratione in faciendo: neque habitus ex eo genere, qui nomen artis non obtineat: efficitur, vt ars & habitus cum ratione vera in faciendo positus, idem valeant. Ars autem omnis in ortu versatur, idque vnum agit & spectat, quemadmodum efficiatur quicque eorum, quæ & esse, & non esse possunt, quorúmque principium situm est in eo qui facit, non in eo quod effcitur. Non enim tractat ars ea, quæ stant vel eueniunt necessariò: nec in iis quæ à natura ortum habent, versatur. Continent enim principium hæc in seipsis omnia. Quando autem effectio & actio inter se diuersæ sunt, necesse est arti effectionem subiectam esse, non actionem quodam etiam modo in ijsdem rebus ars & fortuna versantur, vt placet Agathoni:*

„ *Fortuna chara est arti, ars fortunæ quoque.*

*Est igitur ars, habitus, vt dictum est, ad faciendum aliquid vera cum ratione idoneus. Inscitia contrà, habitus cum ratione falsa faciendi quippiam, quod aliter euenire potest.*

Cap. 5. PRVDENTIA *verò quid sit, ita intelligemus, si quos nominemus prudẽtes, cognorimus. Prudẽtes quidẽ videntur ex eo esse, quòd rectè cõsilium in iis capere possint, quæ è re sua sunt, quæque non aliqua ex parte, vt quæ ad valetudinem, aut vires, sed omnino ad bene viuendi rationem pertinẽt. Quod ex eo intelligi potest, quia prudẽtes in re aliqua dicimus, cùm ad bonum finem rectè ea dirigũt, quæ arte non possunt effici. Quocirca prudens omnino erit, qui consilio plurimùm valet: consilium autem nemo in iis rebus capit, quæ aliter euenire non possunt, neque de iis quæ ab ipso nequeunt effici & præstari. Itaque si scientia omnis demõstratione acquiritur, demonstratio autem ad ea nulla adhibetur, quorum principia secus euenire possunt, (ea enim omnia euenire aliter queunt) quæ autem necessariò eueniunt, non cadunt in deliberationem, efficitur, vt nec scientia nec ars, prudẽtia esse possit. Scientia quidem, quia quod subiectũ est sub actionem, aliter euenire potest: ars, quia alius actioni, alius effectioni artis finis est propositus. Relinquitur ergo, vt sit habitus vera ratione ad ea agenda idoneus, quæ vitæ hominum conducunt, vel obsunt. Nam effectioni alius est quidam propositus finis: actioni non item, quoniam ipsius honestæ actionis & officij finis est ipsum officium. Ob eámque causam Periclem cæterósque tales homines, prudentes existimamus, quòd suæ aliorúmque vtilitati cõsulere possunt: quo etiã ex genere esse rei familiaris reíque publicæ administrandæ vsu peritos arbi-*

*ramur. Hinc etiã σωφροσύνην, id est, temperãtiam, hoc appellamus nomine, ὡς σώζουσαν τὴν φρόνησιν, id est, quasi conseruantem prudentiam. Conseruat enim hanc illa comprehẽsionem. Neque enim omnem comprehensionem labefactat, neque peruertit voluptas aut dolor, vt hanc, Triangulum duobus rectis pares habere, aut non habere angulos: sed eas duntaxat, quæ in eo quod sub actionem cadit, versantur. Rerum enim agendarum principia sunt, quò res agẽdæ referendæ sunt. Cuius autẽ à voluptate aut dolore corruptus est & deprauatus animus, ei statim principium non apparet, neque ei videntur huius causa, & propter hoc expetenda gerendáque omnia. Est enim in vitio magna vis ad labefactandum principium. Quapropter necesse est prudentiam animi habitum esse vera cum ratione coniunctum, qui vim habeat ad ea gerenda omnia, quæ ad vitam degendam pertinent. Artis autem virtus est aliqua propria: prudentiæ non est. Et qui in arte voluntate sua aberrarit, præstantior est: in prudentia minus, quemadmodum etiam in virtutibus contingit. Perspicuum est igitur virtutem eam esse, non artem. Cúmque animi partes sint duæ rationis participes, in altera insit prudentia necesse est, ea scilicet in qua vis inest opinãdi. In iis enim quæ secus cadere possunt, & opinio versatur, & prudentia. Adde quod non est tantùm habitus, cum recta ratione coniunctus, id quod hinc intelligi potest, quòd hæc ipsa obliuione deletur affectio, prudentia non deletur.*

QVoniam autem scientia omnis quædã rerum vniuersarum comprehensio est, earúmque omnium quæ sunt necessariæ: quoniámque ex initiis & principiis oriuntur, quæ Cap. 6.

*ſub demõſtrationem cadunt, omníſque ſciẽtia: (ratione enim ſcientia progreditur) profectò neceſſe eſt principiũ eius rei, quæ ſub ſcientiã ſubiecta eſt, neque ſcientia, neque arte, neque prudẽtia cõprehendi. Nam & quod ſubiectũ ſcientiæ eſt, demõſtratione cõcluditur: & illæ in iis rebus verſantur, quæ aliter euenire poſſunt. Ne ſapiẽtia quidẽ eſt quæ in iis principiis cernitur, quãdoquidem nõnullarum rerũ eget ſapiens demõſtratione. Quòd ſi ſcientia, prudẽtia, ſapientia, & intelligentia eæ res ſunt quibus verum enuntiamus, nec vnquam mentimur iis in rebus quæ vel poſſunt, vel nõ poſſunt aliter cadere: eorũ autem trium in nullo principiorũ cognitio ineſt (tria dico, ſcientiã, ſapiẽtiam & prudẽtiam) relinquitur, vt in principiis intelligẽtia initiíſque cernatur.*

Cap. 7. SAPIENTIAM verò *in artibus iis tribuere ſolemus, qui in quaque parte excellunt maximè: vt Phidiam ſapientem lapidum ſculptorem, & Polycletum ſtatuarium ſapientem nominamus. In quo ſapientiam nihil aliud eſſe ſignificamus, niſi artis virtutem & præſtantiam. Sed quoſdam ſapientes omnino ducimus, non aliqua ex parte, nec aliqua alia in re ſapientes: vt Homer. in Margite.*

„ *A diis nec foſſor factus, nec durus arator,*
„ *Nec re alia ſapiens.*

*Quapropter perſpicuum eſt reliquis ſciẽtiis perfectione & abſolutione præſtare ſapientiam. Ergo ſapientis eſt, nõ ſolùm ea intelligere, quæ principiis concluduntur, ſed rerum etiam cauſas tenere, vt ſit ſapientia, intelligentia & ſcientia: adeóque ſcientia, quæ quaſi caput in iis verſatur, quæ ſunt in rerum natura præſtantiſsima. Nam & illud perabſurdum ſit, aliquem eſſe, qui ciuilem ſcientiã aut pruden-*

*tiam optimam existimet, nisi homo rebus omnibus quæ in mundo sunt, bonitate præstare dicatur. Quòd si salubre, hominisque ac piscium bonum aliud est, album autem & rectum idem est semper: certè omnes idem semper sapientiam esse, prudentiam aliud atque aliud constituent. Qui enim rectè rebus rationibúsque suis consulit, omnes eum prudentem nominant, eique se ac sua omnia committunt. Itaque in quibusdam belluis prudentiam inesse dicimus: iis quæ vi quadam præditæ sunt ea prouidendi, quæ ad vitam degendam pertinent. Ciuilem igitur scientiam nõ esse idem quod sapientiam, hinc perspici potest: nam si eam sapientiam statuant, quæ suis cuiusque emolumentis vtilitatibúsque seruiat, multæ sunt futuræ sapientiæ. Neque enim vna eadémque in commodis comparandis occupata est omnium animantium, sed alia in vnoquoque genere: nisi fortè vna medicina rebus omnibus adhibetur. Neque verò si homo præstare cæteris animãtibus dicatur, quicquam interest. Sunt enim homine alia multò diuinio-ra natura, quo in genere sunt ea quæ maximè collucent, ex quibus constat mũdus. Ex iis ergo quæ dicta sunt, perspicuum est, sapientiam scientiam esse ac intelligentiam eorum omnium, quæ sunt præstantissima. Quocirca Anaxagoram, Thaletem, cæterósque tales sapientes nominãt, prudentes nõ item: cùm eos cernant, quæ ipsis vtilia sint, ignorare. Quos eosdem tenere ac scire aiunt res minus necessarias illas quidem & admirabiles, arduas & diuinas, sed inutiles, quòd ea non quærant, quæ hominibus prosint. Atqui in iis rebus prudentia cernitur, quæ hominum vitæ sunt necessariæ, iisque omnibus quæ in deliberatio-*

*nem cadũt. Prudentis enim maximè propriũ esse dicimus bene deliberare. De iis autẽ nemo deliberat, quæ secus cadere non possunt, neque de iis quæ ad finem non referũtur, in quo situm sit quod agendum est bonũ. Omnino autem is consultus homo est, qui ratione potest, quod homini summum bonum agẽdum sit, exquirere. Nec verò in vniuersis modò rebus prudẽtia versatur, sed notæ etiã esse debẽt res singulæ, cùm & in agendo posita sit, & in rebus singulis omnis actio consistat. Itaque ad rem gerendam nõnulli sunt inscij artificibus & doctis instructiores: & cæteris in rebus qui sunt vsuperiti. Nã qui sciat carnes leues, & faciles ad concoquẽdũ, & salubres esse, is si quæ leues sint ignoret, nunquam valetudinem efficiet: sed is potius, qui auium carnes leues esse & salubres intelligat. Est autẽ in agendo sita prudẽtia. vtraque igitur tenenda est, aut hæc potius. Sed tamen sit etiam hîc quædam quasi architectonice.*

Cap. 8. SVNT *autem & ciuilis scientia & prudentia idem animi habitus: ijsdem autem non est vis eadem neque natura. Eius quidẽ quæ in publicis rebus versatur, vna pars, quæ quasi architectonice prudentia est, legum ferendarum ratio dicitur: altera quæ priuatim in rebus singulis versatur, commune ciuilis scientiæ nomen obtinet, cuius omne opus est in agendo & consulendo. Nam decretum quasi extremum quippiam in rebus agendis numeratur. Itaque hos aiunt solos administrare rempub. quòd vt ij qui manibus artis opus efficiunt, sic ij soli rem gerant. maximè verò prudẽtia videtur ea qua vni sibi quisque rebúsque suis consulit, quæ eadem iam habet commune nomen prudentiæ. Illarum autem alia domestica, alia ars legum fe-*

*rendarum, alia ciuilis nominatur. Atque huius alia pars ad deliberationes, alia ad iudicia pertinet. Ac genus quidem prudentiæ in eo quoddam est, vt quod è re cuiusque sit, intelligatur. Sed magnæ sunt eius differentiæ ac dissimilitudines: videtúrque is demum prudens, qui rebus rationibúsque suis prospicit, in iísque curandis occupatus est. At verò qui in Repub. versantur,* πολυπράγμονες, *id est, negotiosi & curiosi dicuntur. Itaque Euripides ait,*

„ *Quî nanque prudens sim? licebat cui procul*
„ *A negotiis remoto numerarier*
„ *In milites, æquóque iure viuere?*

*In his enim eos esse, qui nimium se multis implicant negotiis, & qui minus necessariis rebus se impediunt. Consulunt enim omnes suæ quisque vtilitati, ídque se vnũ agere putant oportere. Qua ex opinione natum est illud de prudentibus: quanquam süis rebus quisque consulere, sublata rei familiaris disciplina & Reip. nullo modo certè potest. Iam verò sua cuique res quemadmodum administranda sit, incertum est, ídque cuique est etiam atque etiam considerandum. Cui rei hoc satis signi est, quòd & geometræ & mathematici adolescẽtes fiunt, rerúmque eiusmodi sapientiam consequuntur: prudentes non fiunt. Hoc causæ est, quòd in rebus singulis prudentia cernitur, quarum vsu constat, & exercitatione cognitio, vsúque rerum non valet adolescẽs: facit enim diuturnitas temporis exercitationem. Nam hoc quærat aliquis, quid sit causæ cur puer mathematicus effici potest, sapiens vel physicus non potest? An quòd illa abstractione constant, horum verò ab exercitatione & experientia principia oriuntur? & quòd hæc non*

*quaſi ſibi certa credunt, ſed quaſi hiſtoriam recitant adoleſcentes, illorum non ſunt obſcuræ definitiones? Præterea peccatur deliberãdo, vel in rebus ſingulis, vel vniuerſis. aut enim omnem aquam quæ grauis ſit, inſalubrem eſſe neſciũt: aut hanc vel illam, grauem. Prudentiam autem non eſſe ſcientiam, hinc perſpici poteſt, quòd hæc, vt dixi, in extremis, ſiue ſingulis rebus cõſiſtit. Quod enim ſub actionem cadit, ex eo genere eſt. Verùm locum ſibi contrarium intelligentiæ deſumpſit. In extremis enim quæ ratione & demonſtratione non colliguntur, intelligentia verſatur. Hæc in rebus ſingulis, quarum non eſt ſcientia, ſed ſenſus: non is quidem qui in rebus ſuis ac propriis verſatur, ſed is quo triangulum ſentimus in mathematicis eſſe in extremo, quoniam illic quoque conſiſtitur, ſed tamen in hoc ſenſus potius cernitur, quàm prudentia: illius, aliud genus eſt.*

Cap. 9. DISCREPAT *autem à deliberando quærere. Deliberare enim quærere eſt. Sed de recta deliberatione intelligendum eſt, quidnam ſit, vtrum ſcientia aliqua, an opinio, an bona coniectura, an aliquid aliud. Ac ſcientiam quidem non eſſe hinc perſpici poteſt, quòd cùm homines non inueſtigent quæ ſciant ipſi, tamen & cõſultatio prudens, quædam ſit cõſultatio: & qui conſultat, omnis quærat & ratiocinetur. Nec verò recta coniectura eſſe poteſt, quoniam coniectura rectè colligitur & celeriter, & ſine ratione: ad deliberandum autem multum temporis ſumunt, atque adeò celeriter aiunt conficienda eſſe quæ ſuſcipimus: lentè capiendum conſilium. Iam aliud ſolertia eſt, aliud prudens conſilium: quia ſolertia, quædam coniectura eſt, neque verò bonum conſilium vllum, opinio eſt.*

*Sed quoniam omnis aberrat, qui malè consultat, & qui bene, rectè consultat, perspicuum est, bonum consilium quiddam esse rectum: non scientiæ quidem, neque opinionis, quoniam in scientia non spectatur quid rectum, cùm ne peccatum quidem: & opinionis quod rectum est appellatur veritas. Præterea iam definitum est, & certum id omne de quo est opinio. At sine ratione constare bonum consilium non potest: deficit ergo illi sententia. Hæc enim nondum est enunciatio. Et opinio, non quæstio est, sed iam pronuntiatum aliquod. Qui autem capit consilium, siue bene, siue malè id faciat, is quærat aliquid ac ratiocinetur necesse est: sed prudens deliberatio, siue bonum consilium, quiddam in consilio rectum significat. Quocirca quærendum nobis est, quid cõsilium sit, & qua in re versetur. Quoniam igitur rectum aliquid multifariam dicitur, perspicuum est, prudẽtem deliberationem in quaque recta re non consistere. Nam impotentes & praui homines, cùm id quod sibi ratione ad videndum proposuerant, consecuti sunt, rectè illi quidem ac prudenter vidisse ac decreuisse putantur, sed magnum tamen aliquod malum concepisse. Atqui in bonis bene consultasse numeratur. Talis igitur consilij rectitudo, bonum consilium est: quæ scilicet ad bonum aliquod pertinet. At potest illud ipsum quod bonum est, falsa ratione collectum obtineri: & ad id quod faciendum est, non qua ratione æquum est, sed falsa via media perueniri. Bonum igitur consilium esse nullo modo potest, quo ad id quidem peruenitur quod sit bonum, non autem qua ratione decuit. Præterea accidere potest, vt alius deliberandi longo tempo-*

*re adhibito, id quod velit consequatur, alius celeriter eodem perueniat. Quare nondum illud quidem bonum est cõsilium: sed recta via & ratio, quæ quid vtile sit, spectans eò perducit, quò peruenire, & quomodo, & quando ratio æquitásque iubet. Iam verò licet & omnino prudenter deliberare, & ad finem certum consilia dirigere. Ergo id denique generale consilium habendum est, quod ad finem generalem dirigitur: quod autem ad finem certũ quendam, etiam speciale consilium est. Quòd si prudentis est, bona cõsilia inire, verum cõsilium sit necesse est recta via, & ratio quæ singulis in rebus quid vtile sit, spectans ad eum finem perducit, cuius sit vera existimatio in prudentia.*

Cap. 10. EST *autem sagacitas & hebetudo, ex quibus sagaces & hebetes nominantur. Nec omnino sagacitas idem est quod scientia, vel opinio, (omnes enim sagaces essent) nec est vna aliqua scientiarum singularum: vt nec medicina, in rebus enim versaretur salubribus: nec geometria, quæ magnitudines tractat. Neque enim in iis rebus cernitur sagacitas, quæ æternæ sunt & immutabiles: ne in iis quidem quæ quomodocunque gignuntur: sed in iis omnibus, quæ dubiæ & incertæ alicui dignæque consilio esse videantur. Quocirca in ijsdem rebus quibus prudentia versatur, non tamen idem est sagacitas quod prudentia: præcipit enim prudentia, cùm ei sit propositum, quid agendum aut non agendum sit, videre. At sagacitas solùm ad iudicandum valet. Eadem enim est sagacitas, quæ bona sagacitas: & sagaces iidem, qui præstantes sagacitate nominantur. Nec verò sagacem esse & perspicacem, est esse prudentem, aut acquirere prudẽtiam: sed vt omnes qui discũt,*

*tum perſpicere aliquid dicũtur, cùm ſciẽtia vtuntur: ſic cùm adhibetur opinio, & ſententia ad ea iudicãda omnia, quæ prudẽtiæ ſubiecta ſunt, alio dictãte, adeóq; ad præclarè etiã iudicãdum: quoniã bene & præclarè idẽ valẽt, tum idẽ illud verbum perſpiciendi vſurpatur. Hinc natum eſt nomẽ* τῆς σωφέσεως, *id eſt, perſpicaciæ, ex qua perſpicaces nominãtur, ex ea quæ in diſcendo conſiſtit. Sæpe enim* τὸ μανθάνειν, σωιέναι, *id eſt, diſcendi pro intelligendi verbo, vtimur.*

QVÆ *autem* γνώμη, *hoc eſt, ſententia vocatur, ex qua* Cap. II.
εὐγνώμονες, *id eſt, bene ſentientes, & ſententia præditi alij dicuntur, eam iudicium eſſe æqui & boni viri, hoc ſatis ſigni eſt, quòd bonum virum* συγγνωμονικὸν, *hoc eſt, ad ignoſcendum propenſum facilémque dicimus, æquúmque & bonum, ex eo quòd nonnullis in cauſis ignoſcat. Atqui* συγγνώμη, *id eſt venia, recta eſt in iudicio æqui & boni* γνώμη, *id eſt, ſententia. Sed ea demum recta eſt, quæ vera. Omnes autem hæ animi affectiones rectè in iiſdem rebus ſpectantur. Nam cùm & ſententiam, & ſagacitatem, & prudentiam, & intelligentiam iiſdem attribuimus, tum eos ſententiæ valere facultate, ac intelligentia præditos, prudentes, ſagacéſque dicimus. Omnes enim hæ facultates animi, extremorum, rerúmque ſunt ſingularum: idémque homo quòd aptus ſit ad ea iudicanda, in quibus cernitur prudens, ſagax, bene ſentiens, aut ad veniam dãdam procliuis, habẽdus eſt. Commune eſt enim bonorum omnium, æquum & bonum: qua quidem ratione alienæ vtilitatis procuratio ſpectatur. Res autem agendæ & officia in ſingulis rebus, extremíſque omnibus verſantur, quæ debent eſſe prudenti cognita. In iiſque quæ ſub actionem cadunt,*

*& ſagacitas, & ſententia cernitur, quæ eadem extrema ſunt. Et intelligentia vtrorumque extremorum eſt. Etenim principiorum & extremorum non ratio eſt, ſed intelligentia: ac illa quidem, quæ in demonſtrationibus verſatur, eorum eſt extremorum, quæ & prima ſunt, & mutari non poſſunt: altera quæ in agendo eſt, in extremo, eáque re quæ euenire aliter poteſt, & in enunciationis alio genere cernitur. Sũt enim hæc finis principia, quoniam à rerum ſingularum cognitione, vniuerſarum cognitio ducitur. Illarũ igitur ſenſus eſt hauriendus & adhibendus: qui idem intelligentia nominatur. Ita hæc nobis videntur inſita natura. Cúmque ſit ſapiens nemo natura, tamen ineſſe natura hominibus, & ſententiam, & ſagacitatem, & intelligentiã, hinc poteſt intelligi, quòd eas virtutes ſequi ætates putamus, vt in hac, vel illa ætate intelligentia inſit, & ſententia, quaſi à natura tributæ inſitæque videantur. Quapropter & principium eſt intelligentia & finis, cùm præſertim ex iis oriantur, de iiſque conficiantur demõſtrationes. Quare non ſecus debent omnes vſu peritorum, maiorúmque natu, ac prudentum fidem adiungere ſententiis, iis etiam quæ probari non poſſunt, quàm iis quæ ſunt rátione concluſæ. Nam quoniam vſu & exercitatione quaſi aſpectum quendam ſunt adepti, facilè rerum cauſas, & principia cernunt. Ac ſapientia quidem quid ſit, quídque prũdentia, quibúſque in rebus verſentur, & vtramque in alia atque alia parte animi ſitam eſſe, ſit dictum ſatis.*

Cap. 12. SED *de iis quærat aliquis, quas tãdem ad res ſint vtiles: Nam & ſapientiam nulla in re verſari earum, quæ hominem poſſunt beatum efficere, cùm præſertim nullam*

*ad actionem vsúmque referatur: & in prudentia quidem illud esse positum, sed quam tandem ad rem ea sit opus. Siquidem res tractat prudentia, iustas illas quidem & honestas, quæque hominis bona sunt: quas sanè boni viri est gerere. Nunc verò nihilo ad agendum aptiores paratioréque venimus, cùm eas tenemus ac scimus: siquidẽ virtutes in habitu quodã animi ponimus. Quemadmodũ nec res salubres, nec quæ bene cõstituunt corpus, eæ quæ non referuntur ad efficiendum, sed ab habitu proficiscuntur. Neque enim præditi & instructi medicina & gymnastice, ad agẽdum aliqua ex parte venimus paratiores. Quòd si non ob has causas prudentia requiratur, sed vt fiamus probi: profectò vsus illius iis quidẽ qui iam boni sint, nullus est futurus. Atqui ne iis quidem qui non sint præditi, quoniam nihil intererit, ipsi ne eam habeant, an iis qui adepti erunt, obtemperent: hoc enim satis sit nobis, quod in medicina: quam quidem non discimus ipsi, etsi valere cupiamus. Ad hæc absurdum sit, cùm sapientiæ concedat prudentia, eam tamen multo esse superiorem futuram. Nam cùm eius omne opus sit in agendo, imperat, præscribitque omnia. Quibus argumentis nobis occurrendum est: adhuc enim de iis solùm dubitantes disputauimus. Ac primùm quidem hoc dicimus, eas sua vi, & propter se expetendas esse necessariò, cùm vtraque vtriusque partis animi virtus sit, etiam vsu & vtilitate quæ ad vitam degendam pertineat ab vtraque detracta. Deinde efficiunt illæ quidem, non vt medicina valetudinem, sed vt valetudo ea quæ bene constituunt corpus, sic efficit beatitudinem sapientia. Quoniam enim vniuersæ pars est virtutis,*

*poſſeſsione vſúque efficit beatum. Præterea prudentia, eáque virtus quæ more perficitur, omnem abſoluit actionẽ. Propoſitum enim virtus rectũ efficit: ea quæ ad finem ſpectant, prudentia. Quartæ autẽ parti animi, cui ineſt alendi vis & augẽdi, nulla talis virtus attributa eſt: cùm præſertim agamus, vel non agamus, non ſit in ea ſitum. De eo autem quod obiectum eſt, nos nulla ex parte prudentia ad præclarè iuſtéque facta effici aptiores, paulò altius repetendum videtur. Vt enim aliquos dicimus nondum iuſtos eſſe, qui res iuſtas faciant, quales ij ſunt qui quod leges iubent, vel inuiti faciunt, vel imprudentes, vel alia quacunque de cauſa, non propter ſe, etiamſi ea agant quidem omnia, quæ honeſta ſunt & digna bono viro: ſic omnes, vt ſint boni quodammodo affecti animo gerere debẽt omnia, delectu ſcilicet adhibito, eorúmque cauſa quæ gerãtur. Ac delectum quidem & electionẽ virtus rectam efficit: quod autẽ illius cauſa effici ſolet, hoc iam in virtute non eſt, ſed in alia vi poſitum. De quibus diſſerendum nobis eſt apertius. Eſt vis certè quædam, quam ingenium vocant: quæ eiuſmodi eſt, ea vt efficere poſsit & adipiſci, quæ ad propoſitum finem pertinẽt. Ac ſi finis quidẽ honeſtus ſit, laudanda: ſin malus, calliditas eſt nominãda. Itaque prudentes, eoſdem cautos, callidos, verſutóſque dicimus. Nec verò vis hæc idẽ valet quod prudẽtia, & ſi ſine illa vi eſſe nullo modo poſsit. Habitus autem huic quaſi oculo animi innaſcitur: non ſine virtute, vt diximus: ídque hinc perſpici poteſt, quòd rerum, quæ ſub actionem cadunt principia, ratiocinationes continent: quippe cùm talis finis ſit, & id quod eſt optimum, quale idcũque ſit (ſit enim verbi cauſa*

*quod occurrerit) quod quale ſit, niſi bono viro apparet nemini. Peruertit enim iudicium vitioſitas, principiorúmque inducit eorum errorem, vnde actiones & officia proficiſcuntur. Quare non poteſt quiſquam, qui non idem bonus ſit, prudens eſſe.*

QVOCIRCA *hîc rurſum virtus conſideranda eſt.* Cap. 13.
*Quandoquidem quam habet rationem prudentia ad ingenium, cui ſimilis eſt, non idem valet: eandem hæc ipſa habet ad eam virtutem, quæ innata eſt nobis. Omnibus enim à natura quodam modo tributæ ſunt virtutes, omnes quæ à moribus proficiſcuntur. Natura enim & iuſti, & temperantes, & fortes gignimur, reliquarúmque virtutũ principia & ſemina, ſimul atque in lucem editi ſumus, continemus in nobis. Sed tamen aliud quiddã, quod propriè bonum ſit eſſe volumus, & quæ ex hoc genere ſunt aliter ineſſe. Nam & pueris & belluis à natura tributi ſunt habitus, qui ſine intelligentia & ratione obeſſe videntur. Quemadmodum enim graui corpori contingit, vt ſi moueatur ſine aſpectu, grauiter offendat hoc ipſo quòd caret aſpectu: ſic res hîc ſe habet. Quòd ſi intelligentiæ ſplendor acceſſerit, iam magna eſt in actione diſtinctio: habitúſque prioris illius ſimilitudinem referens, tum denique virtutis nomen propriè, veréque obtinebit. Quocirca quemadmodum vis duplex eſt eius in qua ſedes eſt opinionis, ingeniũ & prudentia: ſic eſt duplex in ea quæ ſedes eſt moris & voluntatis, virtus ingenita, & vera virtus: quarum quæ propriè virtus vocatur, eſſe ſine prudentiâ nullo modo poteſt. Itaque omnes virtutes prudentiæ nomine appellant. Et Socrates quidem partim rectè quærebat, partim aber-*

*rabat. Nam quòd virtutes omnes prudentias putauit esse, errauit: quòd autem eas non sine prudentia censuit, præclarè dixit. Quod ex eo intelligi potest, quia nunc omnes qui virtutẽ definiunt, cùm habitum eam dixerunt, & in quibus cernatur, tum habitũ eum esse adiungunt, qui rectæ rationi sit consentaneus. Atqui ea demũ recta ratio est, quæ prudentiæ congruat. Ergo hoc omnes quodam modo diuinare & augurari videntur, habitũ eum virtutem esse qui prudentia dirigatur. Sed tamen parua facienda mutatio est. Neque enim solùm virtus est habitus, qui prudentiæ sit consentaneus, sed is potius qui sit cum recta ratione coniunctus. Recta autem de his rebus ratio, iam nomen habet prudentiæ. Socrates ergo virtutes omnes rationes putauit, cùm in scientia omnes poneret: nos eas non rationes, sed cum ratione esse dicimus. Ergo iam illud quidem perspicuũ est ex iis quæ dicta sunt, nec sine prudẽtia quenquam veræ probitatis, nec sine virtute, quæ more perficiatur, prudentiæ nomen obtinere posse. Sed hoc loco dissoluenda est ea ratio, qua quis disputare possit, seiungi separarique virtutes. Neque enim idem est ad omnes accipiendas aptissimus, verùm hanc iam, illam nondum ille percepit. Nam in iis quidẽ quæ à natura dantur virtutibus, id cõtingere potest: in iis autem, ex quibus verè & omnino vir bonus nominatur, non potest. Etenim si prudentia vna adsit, iam continuò vnà cum ea omnes aderunt. Nam illud quidẽ perspicuum est, etiam si ad agendum non moueat & impellat, ei tamen locum relinqui oportere, hoc ipso, quòd partis animi virtus ponatur, & quòd sine prudentia & virtute propositum rectum esse non possit. Nam*

*& hæc vt finem, & illa vt ea omnia quæ ad finem ſpectant, agamus, impellit. Nec verò domina eſt ſapientiæ, nec partis eſt melioris, quemadmodum nec medicina valetudinis. Non enim ea vtitur quidem, ſed vt in ciuitate adſit, prouidet. Ita illius cauſa præſcribit omnia, non illi. Iam ſimile hoc eſt, vt ſi quis ciuilem ſcientiam imperare dicat Diis, quòd de iis præcipiat omnibus quæ ſunt reipublicæ.*

# ARISTOTELIS
## ETHICORVM LIB. VII.

IS *expoſitis, aliud faciamus initiũ dicendi. Eorum quæ in moribus fugienda ſunt, tria eſſe genera, vitioſitatẽ, impotentiam, & feritatem: quorum perſpicuũ eſt, quæ ſint duorum contraria. Alterũ enim virtutem, cõtinentiam alterum vocamus. Immanitati autem ac feritati licet eam virtutem poni cõtrariam maximè, quæ ſupra nos eſt, quæ eadẽ heroïca, ac diuina dicẽda eſt, vt Homerus Priamum de Hectore loquentẽ facit, eum virtute præſtanti eſſe:* Cap. 1.

„ *Non hic mortali eſt, ſed diuûm ſemine natus.*

*Ita ſi, vt aiunt, ex hominibus propter excellentem præſtãtémque virtutẽ efficiuntur Dij, profectò ea erit potiſſimũ animi affectio, quæ feritati repugnat. Nam vt beſtiarum nullum vitiũ eſt, nulláq; virtus, ſic nec Dei: ſed hic virtute præſtabilior eſt, illarum aliud eſt genus vitij proprium.*

*Et quoniã rarò cõtingit, vt aliquis homo ſit Diuus, quemadmodum Lacones ſolent appellare Diuum, eum cui excellentes virtutes tribuunt: ſic in ſpecie humana rarò aliquis ſumma quadam feritate præditus cernitur, ſed id maximè inter Barbaros exiſtit: in nõnulliſque ex vi morbi & diſtortionis membrorum oritur: eos etiam homines qui alios vitiis flagitiiſque ſuperant, hac infamia notamus. Sed quoniam de hac animi affectione poſtea mentionem aliquam faciemus, & de vitioſitate ſuprà diximus: hic locus poſtulat, vt de impotentia, de mollitie, de luxu, de continẽtia conſtantiáque dicamus. Neque enim de iis vt de affectionibus, quæ idem ſint quod virtus atque vitium, neque vt de genere differentibus exiſtimare debemus. Sed neceſſe eſt, id quod in aliis facimus, primùm proponere in mediũ ea quæ iis habitibus conuenire videntur, & in vtranque partem diſputare: itáque demonſtrare ea præſertim omnia, quæ de his animi affectionibus probabilia feruntur: ſin minus plurima, & quæ plurimum habent ponderis. Nam ſi ea omnia ſoluantur, quæ difficilia ſunt, relinquantúrque probabilia: ſit explicatum ſatis. Ac illud quidem primùm perſpicuum eſt, continentiam & conſtantiam in bonis eſſe & laudabilibus, impotentiam & mollitiem in malo & vitio: eundémque continentem, & eum qui permaneat in ſuſcepto conſilio: eundem impotentem, & eum qui deſiſtat à ſententia. Et impotens quæ mala ſunt, mala ille quidem eſſe nouit, ſed agit ea victus & debilitatus obiecta ſpecie voluptatis. At verò continens, quoniam malas eſſe cupiditates intelligit, eas ratione ductus non ſequitur. Et temperantem quidem, continentẽ atque conſtantem appellant:*

*talem autem hominem partim temperantem, partim non: intemperantémque impotentem, & impotentem confuſe ponunt pro intemperanti. Alij eos aiunt eſſe inter ſe diſſimiles: prudentem verò interdum negant impotẽtem poſſe effici: interdum eos qui prudentes ſint & acuti, impotentes putant. Impotentes etiam dicuntur & animi, & honoris, & lucri. Atque hæc quidem ſunt quæ feruntur.*

HOC *autem quærat aliquis, quid cauſæ ſit cur rectè quis ſentiens, ab animi libidine vincatur? Scientem quidẽ eum poſſe eſſe negant nonnulli. Abſurdum nanque ſit, Socratis ſententia, tum cùm in quopiam eſt ſcientia, aliud quiddam vincere ac trahere eum quaſi mancipium. Socrates enim quòd nulla eſſet impotentia, cùm ratione bellum gerens oſtendere conabatur, quòd neminem putauit, qui rectè ſentiret, contra id quod optimum iudicaſſet, quicquã eſſe geſturum: ſed imprudentem omnem facere, qui ita faceret & viueret, iudicauit. Atque iis quidem quæ perſpicua ſunt, hæc omnis repugnat oratio: quærendúmque nobis eſt, ſi hæc animi perturbatio ab imprudentia naſcatur, quis eius ſit modus. Nam hoc quidem perſpicuum eſt, hominem impotentem non putare quæ agat, eſſe facienda priuſquam ſit in perturbatione: ſunt verò nõnulli qui hæc concedant, ſuperiora non item. Nam & nihil eſſe ſcientia firmius fatentur: & neminem facere contra id quod melius eſſe ſenſerit, non fatentur. Ob eámque cauſam impotentem hominem aiunt non ſcientia quidẽ, ſed opinione prædituũ, vinci à voluptatibus. Atqui ſi opinio quidẽ inſit, ac non ſcientia, nec firmum & ſtabile iudicium quod obſiſtat, ſed leue & tranquillum: vt iis contingit, qui diſtra-* Cap. 2.

*huntur variis ſententiis: profectò veniæ aliquid loci relinquatur, quòd non ſtet in iis decretis cõtra firmas cupiditates. At malitiæ ac vitio non eſt ignoſcẽdum, neque vlli eorum quæ ipſa vituperãda ſunt. An verò prudentia eſt quæ obſiſtat, cùm ſit potentiſsima? At abſurdũ ſit. Sic enim vnus & idem ſimul prudens & impotens eſt futurus: nec quiſquam fateatur, prudentis eſſe, quæ ſint flagitioſiſsima, ea gerere ſua volũtate. Præterea ſuprà docuimus, qui ſit prudens, eum, quoniam in ſingulis rebus cerneretur, & ad officia paratum, & cæteris virtutibus omnibus inſtructũ ac ornatũ eſſe oportere. Iam verò, ſi in eo continens ſit poſitus, quòd cupiditatibus conſtrictus ſit & vehemẽtibus & malis: profectò temperatus nemo futurus eſt continens, neque continens vllus, moderatus. Neque enim cupiditates malæ & vehementes ſolent exiſtere in temperante: quod quidẽ neceſſe eſſet. Etenim ſi honeſtæ ſunt cupiditates, vitioſam eſſe neceſſe eſt eam animi affectionem, quæ impedimento eſt, quo minus eas ſequamur. Ita non omnis eſt in bonis continentia. Quòd ſi infirmæ ſint & imbecillæ nec improbæ, nihil gloriatione: neque ſi improbæ & imbecillæ, quicquã magnà laude ſit dignũ. Tum ſi nos, vt omni opinioni ſtemus impellit continentia, malá ſit aliqua continentia neceſſe eſt: veluti ſi in falſa opinione nos retineat. Et ſi de omni ſententia & opinione impotẽtia deducat, aliqua in bono futura eſt impotẽtia: qualis illa eſt Neoptolemi Sophoclei, in Philoctete. Eſt enim iure laudãdus, quòd iis minimè ſteterit, ad quæ Vlyſſes ipſum impuliſſet, quia illi graue eſſet mentiri. Præterea Sophiſtarũ ratio fallax ancipitem curam affert cogitandi. Nã quia ineſt in eis cupi-*

*ditas refellendi quæ admirabilia ſunt, quò ſint, quũ id aſſecuti fuerint, argutiores: quæ conficitur, dubitationẽ affert ratiocinatio. Vinctus eſt enim animus quodammodo, cùm nõ vult ille quidem cõſiſtere, quòd minus probet quod ſit cõcluſum: ſed tamẽ progredi lõgius nõ poteſt hoc ipſo, quòd rationem nequeat diſſoluere. Fit autem neſcio quo pacto, vt imprudentia, impotẽtiæ cõiuncta ſit virtus. Cõtrà enim facit ac ſentit propter impotentiam. Sentit autẽ quæ bona ſunt mala eſſe, neque facienda. Ita quæ bona ſunt faciet, nõ quæ mala. Iam qui agit & perſequitur, quæ voluptatẽ efficiunt, idque ex induſtria, hoc ipſo, quòd ſibi ita animũ induxit, is melior videatur eo, qui non ratione, ſed impotentia animi ducatur ad agendum, quo facilius ei curatio adhiberi poteſt, ſi animũ tantùm contrà inducat. At verò impotens eo prouerbio conſtrictus tenetur, quod omnium ſermone tritum eſt, Cùm aqua guttur præfocat, quid iam attinet bibere? Etenim ſi minimè animum induxiſſet ea facere quæ faciat, profectò ſimul ac ei diſſuaſio adhibita eſſet, à ſententia deſtitiſſet. Nunc adhibita eſt, & tamen nihilominus aliud agit. Præterea ſi in rebus omnibus verſatur impotentia & continentia, quis abſolutè habendus ſit impotens? cùm præſertim nemo homo omni genere impotentiæ ſit inſtructus. Atqui nonnullos abſolutè impotẽtes vocamus. Ac quæ hoc loco incidunt, quæſtiones ſunt eiuſmodi, quarum aliæ diluendæ ſunt, aliæ relinquendæ. Quæſtionis enim explicationis finis eſt inuentio.*

AC *primùm illud quidẽ videndum eſt, vtrum ſciẽtiam habeant impotentes nécne, & quemadmodum habeant.* Cap. 3.
*Deinde quibus in rebus homo impotens & continens po-*

*nendus sit: vtrum in omni voluptate & dolore, an in certis quibusdam voluptatibus. Et continentes & constantes, vtrum iidem sint, ánne diuersi. Quod idem exquirendum est de aliis, quæ sunt huic coniuncta disputationi. Exordium autẽ hinc capiat disputatio, vtrum continens homo & impotens ex iis statuantur diuersi, in quibus versentur, an ex eo, quemadmodum in iis ipsis spectentur. hoc dico, vtrúmne impotens homo, ex eo solùm, quòd in his vel illis cernatur rebus, nécne intelligatur impotens, an ex vtroque potius. Deinde quærendũ est, vtrũ in omnibus impotentia & continentia, nécne versentur. Neque enim cernitur in omnibus, is qui vndique perfectè & absolutè est impotens. sed in quibus intemperantes: nec ex eo quòd absolutè in iis affectus est (idem enim esset quod impotentia) sed quòd certo quodã genere & modo sit affectus, iudicandus est. Nam & hic quidem trahitur consulto, quòd semper præsentem voluptatem putet sequi oportere: & ille nõ putat, cùm interim persequatur. Nam quòd aiunt quidam, veram esse illam opinionem non scientiam, in qua iudicia sua non possunt tenere, id quidem ad rationem nihil interest. Sunt enim quidam eorum qui sunt in opinione, qui nõ pendent animi, sed certò se rem scire existimant. Ita si ij qui sunt in opinione, potius quàm ij qui rem sciunt & tenent, contrà ac sentiunt, faciunt propter leuem & imbecillem assentionem, nihil inter scientiam intererit & opinionem. Non enim sunt apud quosdam minus firmæ in iis de quibus opinantur assensiones, quàm apud alios in iis quæ ipsi sciunt: quod Heraclitus indicat. Sed quoniam dupliciter aliquid scire dicimus (nam & is in quo scientia est,*

*nec ea vtitur,& is qui vtitur, ſcire dicuntur) permultum intereſt,iſne qui præditus eſt ſcientia,neque eam intuetur, ea quæ non ſunt facienda faciat , an is qui præditus eſt, eámque intuetur. Hoc enim abſurdum videatur,illud non item,niſi agat eam intuens. Iam cùm enunciationũ ſint duo genera,nihil prohibet,eum qui vtrunque genus teneat,contrà ac ſciat facere, ſi ea quæ vniuerſa eſt & generalis, vtatur,non quæ eſt de rebus ſingulis. Cadunt enim ſub actionem res ſingulæ. Atque etiam eius quod vniuerſum ac generale eſt, ſunt quædam differentiæ. Nam aliud in ſeipſo vertitur,aliud in rebus: veluti,Omni homini ſicca prodeſſe: &,hunc eſſe hominem: vel, ſiccũ eſſe hoc tale,vel illud. Verùm tale hoc ſit,aut nõ ſuppetit, aut certè eo nõ vtitur. Tãta igitur ex iis generibus exiſtet diſsimilitudo & differentia, vt ſic ſcire abſurdum ſit , ſecus mirabile videatur. Præterea ſcientiam habere in hominibus ſuas habet quaſdam differentias,ab iis etiam diuerſas quas modò commemoraui. Nam ex eo quòd tenetur animo comprehẽſa, vſus autem eius non adhibetur , ita diſsimilem habitum cernimus,vt & teneatur habitus quodam modo,& non teneatur: qualis eſt dormientium, furioſorum,& vinolentorum. Atqui ita ſunt affecti omnes,qui in aliqua ſunt animi perturbatione. Nam & ab ira & veneris cupiditate,& quibuſdam eius generis , non ſolùm animi perturbantur, ſed etiam corpora: nonnulli etiam ad inſaniã adiguntur. Perſpicuũ eſt igitur,ita,vt hi ſunt,affectos,eſſe impotẽtes. Nec verò ſententiarum commemoratio earum etiam quæ dignæ ſunt ſcientia , confirmat quenquam conuenienter ſcientiæ ac ſententiæ ſuæ viuere. Nam & qui his animi perturba-*

*tionibus commoti ſunt, demõſtrationes & carmina proferũt Empedoclis: & qui primùm diſcunt, verba illi quidem coniungunt & perpetuant, ſed quæ nõ intelligant. Debent enim hæc animo inſidere omnia: quod vt fiat, tempore opus eſt. Quocirca qualis hiſtrionum, talis iudicanda eſt impotentium oratio. Atque etiam hoc modo cauſam ex natura intueri licet, quòd cùm aſſentionum aliæ in vniuerſis rebus, aliæ in ſingulis, quarũ ſenſus dominus eſt, cernãtur: ſi ex iis fiat vna, neceſſe eſt in hoc quidem genere, animũ id decernere & cõſtituere: in rebus verò quæ affectioni ſubiectæ ſunt, ſtatim ſe applicare ad faciẽdum. Vt ſi quod dulce eſt, omne guſtãdum: hoc autem dulce eſt, quod ſit in rebus ſingulis, neceſſe eſt eum ſimul agere qui poſſit, neque prohibeatur. Cùm ergo ineſt de vniuerſis opinio, quæ vetat ne guſtes: alia autem, dulcia eſſe ſuauia omnia, & alia hoc dulce eſſe: profectò hæc exequitur, quæ fortaſſis erat cupiditas. Cùm ergo hæc illud fugiendum monet, cupiditas cõtrà ad ſe rapit (poteſt enim omnes animi partes commouere) fit, vt à ratione quodam modo & opinione diſtrahatur animus: nõ quòd ſit per ſe contraria opinio, ſed quòd ſolùm fortuitó. Nõ enim rectæ rationi opinio cõtraria eſt, ſed cupiditas. Quocirca non ſunt belluæ impotẽtes, propterea quòd rerum vniuerſarum non habeãt comprehẽſionem, ſed rerum ſingularum modò viſis & recordatione moueãtur. Quemadmodum autem deleta ignoratione ad ſciẽtiam reuocetur impotẽs, eadem ratio eſt, & ebrioſorũ, & dormiẽtium communis, nõ huius perturbationis propria: quæ ab iis petenda eſt, qui naturas rerum inueſtigãt. Quoniam autem extrema enũciatio eſt*

*eius, quod ſub ſenſum cadit opinatio, actionúmque ac officiorũ eſt propria: eã aut nõ tenet is qui perturbatione cõmotus eſt: aut ſic certè eam tenet, vt ſic tenere nõ ſit ſcire, ſed more vinolẽtorum Empedoclis carmina recitare. Et quoniã nõ ſunt vniuerſæ extremæ enũciationes, neque ad ſciẽtiam æquè valẽt ac vniuerſæ. Illud etiam quod Socrates quærebat, cõtingere videtur. Neque enim tum cùm adeſt, quæ verè ac propriè ſciẽtia dicitur, ſed ea quæ hauritur ſenſibus, animi perturbatio naſcitur, aut ea diſtrahitur à perturbatione. Ac hominem quidem ſciẽtia præditum, & nõ præditum, intemperatè viuere, quóque modo quis in ſciẽtia poſsit eſſe impotens, ſit dictum ſatis.*

DEINCEPS *dicendum eſt, vtrum ſit aliquis abſolutè impotens, an aliqua ex parte omnes habeãtur: tum ſi eſt aliquis, quibus in rebus cernatur. Illud igitur perſpicuum eſt, cõtinentes, cõſtantes, impotentes, molléſque homines in voluptatibus doloribúſque verſari. Eorum autem quæ voluptatem efficiunt, ac delectãt, alia ſunt neceſſaria, alia propter ſe ſunt illa quidem expetẽda, ſed tamẽ exuperãtiam habent. Neceſſaria quidem ſunt, quæ ad corpus pertinẽt: quo ex genere ſunt ea omnia quæ ad cibum vſúmque venereorũ referũtur: itémque ea in quibus temperãtiam & intemperãtiam locauimus. Alia non ſunt illa quidem neceſſaria, ſed ex ſe, & propter ſe expetenda, vt victoria, vt honos, & opes, & quæ bona ſunt, & iucũda eiuſdem generis. Ac eos quidem homines, in quibus cõtra rectam rationem quam tenẽt, horum modus nullus eſt, non abſolutè impotentes vocamus, ſed cum adiunctione, pecuniarum, quæſtus, gloriæ, & animi impotentes: non ſine*

Cap. 4.

*adiunctione, quasi sint dissimiles, & ex similitudine nominentur. Qualis fuit ἄνθρωπος is, qui vicit ludis Olympicis, in quo paulùm admodũ à propria cõmunis ἀνθρώπου differebat appellatio. Sed tamẽ diuersa erat. Illud verò ita se habere, vt dixi, hinc perspici potest, quòd impotentia vituperatur, non solùm quia peccatum sit, sed etiam quia aut omnino & absolutè vitiositas quædam sit, aut aliqua ex parte: quod illorum contingit nẽmini. Eorum autem qui in corporis voluptatibus versantur, iis in quibus tẽperantem & intemperantem esse dicimus, qui non consultò & cogitatò, sed inconsultè & sine iudicio immoderatas voluptates sequitur, dolorésque nimios fugit, vt famis, vt sitis, vt caloris, vt frigoris, eorúmque omnium quæ in tactu, gustúque consistunt: is nõ cum adiectione, vt iræ, sed absolutè impotens nominatur. Quod ex eo intelligi potest, quia in his intẽperantes esse dicuntur, in illis non dicuntur. Ob eámque causam in eodem impotẽtem, & intemperantem ponimus, continentémque & temperatum: illorum verò neminem, quòd in iisdem quodam modo voluptatibus doloribúsque cernãtur. Ac in eisdem quidem illi versantur, sed non eodem modo, sed illi consultò, hi inconsultó. Itaq; potius intẽperantem appellari licet eum qui nulla, aut certè leui cupiditate incitatus, magnas & immodicas voluptates sequatur, vel mediocres dolores fugiat, quàm eum qui idẽ faciat magnis firmísque cupiditatibus impulsus. Quid enim ille faciat, si iuuenilis libido exarserit, & in rerũ necessariarum indigentia firma ægritudo? Sed quoniam cupiditates ac voluptates aliæ sunt in honestis & bonis (ex iis enim quæ mouent & delectant, quædam sua vi & na-*

*tura expetenda ſunt, alia his contraria, nonnulla media, quemadmodum ſuprà diuiſimus) vt pecunia, quæſtus, victoria, gloria in his omnibus cæteríſque eiuſdem generis & mediis: non quia eorum ſtudio, cupiditate & amore teneantur homines, vituperãtur, ſed quia modum in eis finémque tranſeant. Itaque omnes, qui præter modum aut vincuntur eorum aliquo, quæ ſuapte natura honeſta ſunt & bona, aut eadẽ ſequuntur, non laudantur: vt qui plus quàm ratio patiatur, vel gloriæ ſtudent, vel liberis, vel parẽtibus. Nam & hæc in bonis ſunt, & qui iis inſeruiunt in laude verſantur. Sed tamen in his quoque eſt quædã exuperantia, ſi quis, vt Niobe, bellet cum Diis: aut quemadmodum Satyrus ille, qui φιλοπάτωρ, id eſt, amans patris vocatus eſt, inſanò amore afficiatur in patrem. Nimium enim inſanire videbatur. Vitiũ igitur in his nullum verſatur, propterea quòd, vt dixi, vnumquodque eorum in iis eſt, quæ per ſe expetuntur: ſed eorum nimiæ ac immodicæ prauæ ſunt, ac fugiendæ cupiditates. Itémque ne impotentia quidem. Eſt enim non modò fugienda, ſed etiam vituperanda impotentia. Ex ſimilitudine autem perturbationis cum adiunctione vnicuiq; impotentiã attribuunt, vt cùm medicum malum appellant, malúmque hiſtrionem, quem omnino & abſolutè malum nunquam dicerent. Vt igitur hîc malus dicitur, non quòd ſit vitium vnumquodque eorum, ſed quia quadam proportione eſt ſimile: ſic illic etiam exiſtimanda eſt continentia, & impotentia, quæ in iiſdem quibus temperantia & intemperantia, verſatur. Per ſimilitudinem autem idem illud de ira dicimus. Quocirca cum adiunctione, iræ, vel gloriæ, & quæſtus, impotentem dicimus.*

Cap. 5. SED *cùm aliqua iucunda ſint natura, quorum alia omnino & abſolutè, alia pro animantium hominúmque genere voluptatem afferunt, quædam non natura & per ſe, verùm alia ex morbo, quædam conſuetudine, nonnulla vitioſa deprauatáque natura naſcuntur: licet etiam in hoc poſteriore genere ſimiles proportione affectiones cernere, belluinas ſcilicet quaſdam affectiones, qualis fuit eius mulieris, quam inciſis grauidis mulieribus fœtus deuorare aiunt ſolitam: aut quibus ferunt delectari efferatos circa Pontum quoſdam homines, quorum alios cruda, alios humana carne veſci confirmant, alios commodare vltrò citróque liberos in conuiuiis: aut quod ferunt de Phalaride. Atque hæ quidem belluarum ſunt ſimiles affectiones. Aliæ ex morbis furiáque naſcuntur, vt in illo qui matrem mactauit & comedit: & in eo qui conſerui iecur. Aliæ partim ex morbo, partim conſuetudine gignuntur, vt pilorum euulſiones, & eſus vnguium, carbonum etiam & terræ. Præterea libidinoſorum cum maribus concubitus. Aliis enim natura, aliis conſuetudine eueniunt, vt iis qui ab initio pueritiæ adhibent conſuetudinem. Ac eorum quidem quibus cauſam natura ſuppeditat, neminem impotentẽ ſolemus dicere: vt ne mulieres quidem, quòd non incubent, ſed ſuccũbent. Itémque ij qui ex conſuetudine ita affecti ſunt, vt qui morbo ſunt correpti. Vt igitur immanitas, & belluina affectio, ſic ſingulæ hæ animi affectiones finem vitij modúmque tranſeunt. His autem ſi quis teneatur cõſtrictus, & vincat eas, aut ab iis vincatur, non ſit perfecta abſolutáque impotentia, ſed quædam par ac ſimilis. Quẽadmodum ne is quidem habeatur impotens, qui ira inci-*

*tatus sit, sed in perturbatione eo modo esse dicatur. Omnis enim perinsignis vitiositas, amentia, timiditas, intemperãtia, & duritia, vel feritati, vel morbo tribuẽda. Qui enim natus est eiusmodi, vt metuat omnia, etiam si mus strepitum edat, belluarum simili quadam ignauia timidus est habendus: & qui muscipulam vi morbi timeat: amentésque ij, qui à natura expertes rationis, solum sensuum munus exequuntur, immanes quidem belluarúmque similes habendi sunt, vt quædam genera barbarorum procul habitantium: at qui ex morbo, vt comitiali, vel furia, morbosi. Potest autem quis solùm affectus esse, neque vincetur: vt si Phalaris filij vorandi cupidus, vel incredibili captus libidine, se coërceat & sustineat. Fieri etiã potest, vt quis vincatur à perturbatione, non solùm sit in ea. Quemadmodum igitur vitium aliud est, quod naturam attingit humanam, quod idem absolutè vitium dicitur: aliud cum adiunctione, ferinum aut morbosum vitium non absolutè: sic perspicuum est impotentiam esse aliam belluinam, & aliam morbosam. Absolutè autem ea sola, quæ intemperantiam humanam comitatur. Illud ergo iam quidem perspicuum est, continentiam & impotentiã in iis duntaxat versari, in quibus temperantia sit, & intemperantia: aliúdque earum esse genus, quod ductum ex similitudine non absolutè in aliis rebus cernatur.*

NVNC *ostendamus animi, quàm cupiditatum minus turpem esse impotentiã. Ira enim parere illa quidem videtur quodam modo rationi, sed non attentè eam audit, more ministrorum & seruorum eorum qui præposterè omnia obeunt, qui antequam omnia quæ præscribuntur,* Cap. 6.

*audierint, abeunt, deinde officio desunt: & ritu canum, qui prius quàm considerarint, sitne is amicus qui pulsauit, allatrant, sic ira feruore ac repẽtino naturæ motu incitata, audit illa quidem rationem, sed præscriptione non intellecta ad supplicium se vltionémque conuertit. Cùm enim ratio, vel visio potius contumeliam, vel contemptum subesse docuit, hæc tanquam sit collectum ratiocinatione, huic, vel illi bellum esse inferendum, repentè excandescit. At verò cupiditas, si ratio vel sensus modò moneat hoc vel illud esse suaue, inflammata rapitur ad perfruendas voluptates. Ita quodam modo sequitur rationem ira, cupiditas nõ item. Est igitur turpior cupiditas. Quinetiam impotẽs animi quodam modo à ratione vincitur: ille autem non à ratione, sed à cupiditate. Iam ei potius ignoscendum est, qui perturbationes sequitur naturales, quoniam iis etiam cupiditatibus, quæ ex eo genere communes sunt, & quia cõmunes. At iracundia & acerbitas à natura nobis potius tributa est, quàm cupiditates eæ quæ semper immensæ sunt & immoderatæ, & minus necessariæ. Vt ille qui cùm verberaret patrem, hanc rationem causámque attulit: hunc suum & illum superiorem verberasse: producto filio, Hic etiã, inquit, vbi adoleuerit, me verberabit: est enim hoc nobis proprium, & hæreditariũ. Et ille, qui cum à filio traheretur, eum iussit ad fores consistere: à se enim ad eum locum patrẽ esse tractũ. Iam quo quisque maiore fraude, & ex insidiis agit, eò iniustior est. Iracundus autem non agit fraude: neque insidiatrix est iracũdia, sed aperta: & cupiditas est, vt aiunt. Venerẽ enim Cyprigenã insidias nectere, ait Homerus, baltheúmque tribuit ei, in quo doli essent,*

„ *Fraus, animos quæ prudentum insidiata fefellit.*

*Ita si iniustior est, turpior est hæc impotẽtia, ea quæ animi est, quæ eadem absolutè impotentia & vitiositas vocatur quodam modo. Præterea nemo dolens paret libidini. At qui per iram facit, omnis dolens facit: & qui libidini obsequitur, libenter facit. Si igitur quibus rebus iustius offendimur, eadem sunt cum maiore iniuria coniunctæ, & impotentia cupiditatum erit huiusmodi. Neq; enim in ira inest contumelia. Ergo hoc iam perspicuum est, impotentia cupiditatum, animi esse impotentia turpiorem: in iisque voluptatibus & cupiditatibus esse continentiam ac impotentiam, quæ ad corpus pertinent. Intelligenda est autem harum ipsarum distinctio. Aliæ enim sunt, vt initio diximus, humanæ & naturales, & genere, & magnitudine: aliæ belluarum propriæ: quædam ex oblæso principio, morbisque gignuntur, quarum in primis duntaxat sunt temperantia & intemperantia. Itaque nec temperantes belluas dicimus, nec intemperantes, nisi per metaphoram: etiamsi aliud animantium genus alij præstet, petulantia, contrectatione, & libidine omnia vorandi. Neque enim belluarum vllum iudicium est, vel consilium: sed vt furosi exüerunt hominem ex homine, sic feræ deprauatæ sunt natura sua. Minus autem mala est feritas & immanitas quàm vitium, sed terribilior tamen. Neque enim in illis quod est optimum, deprauatum est, vt in homine, sed ab eo discessum est, adeóque iam non inest. Simile igitur est, vt si animum cum animante conferas, vtrum sit peius. Semper enim infirmior est, & imbecillior eius prauitas, quod principij est expers. Mens autẽ principium est. Perinde igitur*

*est, vt si quis iniustitiam cum iniusto homine compararet: quorum vtrunque quodam modo vtroque flagitiosius est. Nam homo si prauus sit, plura infinitis partibus detrimenta, & incommoda quàm fera inferre potest.*

Cap. 7. IN *quibus autem voluptatibus quæ ad tactum gustatúmque pertinent, ac doloribus, cupiditatibus & fugis, cõsistere temperantiam & intemperãtiam suprà exposuimus, iis potest quispiam ita esse affectus animo, vt ab iis vincatur, quæ etiam plerique superant: potest etiam ea vincere, à quibus plerique vincantur. Horum qui in voluptatibus ita animo affecti sunt, ille impotens, hic continens nominatur: in doloribus, hic mollis & delicatus, ille constans & patiens. Sunt autem quasi medij inter hæc, habitus multitudinis, quanquam magis ad vitiosos deflectere videantur. Et quoniam voluptates aliæ sunt necessariæ, aliæ non, vsque ad certum quendam modum: nimiæ autem & parum magnæ non sunt necessariæ: quod idem in cupiditatibus ægritudinibúsque contingit: qui immoderatas persequitur voluptates, aut quia magnæ sunt, aut id facit de industria propter se, non propter aliud aliquid ex eis consequens, is intemperans habendus est. Quem quoniam necesse est nullius facti pœnitere, idcirco est insanabilis. Omnes enim quos nihil pœnitet, sanari nullo modo possunt. Qui autem deficit à modo perfruendæ voluptatis, huic contrarius ponitur. At qui medius est, temperans nominatur. Eadẽ est ratio eius, qui dolores corporis declinat, non quia vincitur, sed de industria. Eorum autem qui non animi iudicio ducuntur, quidam voluptate rapitur, alius molestiæ fuga, quæ cupiditatem consequatur. Ita inter se sunt dissimiles. Sed*

*multo deterior videatur, si quis nulla aut leui cupiditate ductus, quàm si firma aliquid faciat: & si quis nulla ira incitatus pulset & verberet aliquem, quàm si idem cõmotus fecisset. Quid enim facturus fuisse videtur, si fuisset incitatus? Ita peior est impotente intemperans. Eorum verò quos modò nominaui, alius mollis potius, alius impotens appellatur. Contrarius autem est, & continens impotenti, & molli ac delicato constans & patiens. Constantia enim & patiẽtia in resistendo est: in vincendo cõtinentia. Aliud est autem resistere, aliud vincere: vt aliud non vinci, aliud vincere. Quare expetenda quidem magis est continendi ratio, quàm resistendi fortitudo. Qui autem à ratione deficit iis rebus, quibus plerique & obsistere possunt, & obsistũt, is mollis & delicatus habendus est: (deliciæ enim quædam animi mollities est) vt si quis vestem trahat, ne quam in veste tollenda suscipiat molestiam & dolorem. Et qui imitatur ac fingit ægrum, non se miserum esse putat, cùm sit misero par ac similis. Similis est ratio continentiæ & impotentiæ. Neque enim mirum sit aliquem esse, qui à firmis & immodicis voluptatibus, dolor: búsve vincatur: 'quinetiam venia danda est, si quis obsistens vincatur, vt Theodecti Philoctetes ictus à serpente, vel Carcini Cercyon in Alope. Et vt homines qui tenere risum conati, vniuersum effundunt, quod Xenophanto accidit. Sed si quis iis succũbat, quibus plerique possunt obsistere, id denique sit mirum, præsertim si neque natura totius generis, neque morbo impeditus non posit obsistere. Qualis est in Persarum regibus mollities, propter genus: & qualis est mulierum ad viros differentia. Atque etiam intemperans videtur,*

*si quis est ad ludum propensior, qui tamẽ mollis dicitur: ludus enim leuamentum est, si quidem requies. Et qui in eo exuperat, is est qui παιδιώδης vocatur. Impotentia autem alia ex temeritate, alia ex imbecillitate gignitur. Alij enim consilio capto, non seruant, neque tenent id quod statuerũt victi & debilitati obiecta specie voluptatis. Quidã quia nihil se neque rationem consuluerunt, à perturbatione rapiuntur. Nonnulli enim quemadmodũ qui se prius ad titillationẽ confirmarunt, non titillãtur: sic cùm præsenserũt & prouiderunt, excitarúntque & se & rationem, nunquã à perturbatione vincuntur, siue sensum suauitate quadam demulceat, siue asperitate deterreat. Maximè autem acutorum, & atra bili hominum est temeraria impotentia: quoniam illi propter celeritatem, hi propter vehemẽtiam, rationem & iudicium suum non retinent, hoc ipso quòd visionem & speciem obiectam animo facilè sequantur.*

Cap. 8. QVONIAM *autem, vt dixi, factorum suorũ non pœnitet intemperantem, quippe qui permaneat in sententia, impotentem verò quodam modo pœnitet: idcirco non ita est, vt quærẽdo disputauimus, sed hic sanabilis est, illi nulla sanitas adhiberi potest. Simile est enim malum hoc aquæ intercuti & tabi: impotentius his hominibus, qui morbo comitiali afflictantur, propterea quòd assidua illa & sempiterna, hæc non assidua est improbitas. Omninóque ex alio genere impotentia est, ex alio vitium: vitium enim omne suæ culpæ ignarum est, non est ignara impotentia. Atqui horum ipsorum meliores ij, qui facilè de sententia dimouẽtur natura, quàm ij in quibus est ratio, neque in ea permanent: siquidem à minore perturbatione*

*victi iacent, neque id inconsultò, vt alteri. Est enim impotens iis similis hominibus, qui & citò, & pauculo vino epoto, & minore quàm plerique, incidunt in ebrietatem. Ac impotentiam non esse idem quod vitium, nisi fortè aliqua ex parte, hinc perspici potest, quòd illa non est cum animi iudicio & proposito coniuncta, vitium est. Est inter hæc tamen in actionibus quædam similitudo, vt illud Demodoci in Milesios, Milesii nõ sunt illi quidem insipiẽtes, sed tamen eadem quæ insipientes faciunt. Et impotentes quidem cùm non sint iniusti, faciunt tamen quæ iniusta sunt. Quoniámque hic eiusmodi est, qui non propterea quòd sibi ita persuaserit, immoderatas quasdam etiam contra rectam rationem corporis voluptates persequatur: ille autẽ sibi induxerit animũ, quòd sit eiusmodi qui eas sequatur: ille facilè desistet de sententia, hic non desistet. Nã & virtus omnium principium conseruat, & vitium labefactat. Principiũ autem actionis & officij, id est quò referuntur omnia, vt in mathematicis ea, quæ ponuntur. Vt igitur illic, ita hîc principia non docet ratio, sed virtus, vel quæ insita est natura, vel à more perfecta, bene sentire docet de principio. Est igitur eiusmodi temperans: cui est intemperans contrarius. Est etiam aliquis qui propter perturbationẽ à recta ratione desciscit, quem vt ne agat ex rationis præscriptione, impellit perturbatio: eadem tamen vt ei certũ sit & destinatũ, eius generis voluptates persequi oportere, nõ vincit. Hic impotens nominatur, qui & melior intemperante est, nec planè improbus. Saluum enim in eo, & integrum est principium, quo nihil in nobis est præstantius. Huic autẽ repugnat alius, qui permanet in sentẽtia, à*

*qua eum nulla poteſt dimouere perturbatio. Ex quo perſpicuum eſt, banc in bonis, illã in malis eſſe animi affectionẽ.*

Cap. 9. VTRVM *igitur in quauis ſententia permaneat continens, & in quolibet propoſito, an in recto & honeſto? Et impotens vtrum non in qualibet ſententia permaneat, & inſtitutum quodlibet non ſequatur, an falſam duntaxat rationem non teneat, & non rectum inſtitutum? vt initio quæſitum à nobis eſt: an fortuitu in quauis per ſe in vera ratione, & ſententia ille permaneat, hic non permaneat? Si quis enim hoc propter illud expetat, vel ſequatur, per ſe & propter ſe hoc perſequitur & expetit, ex accidente illud ſuperius. Omnino autem & abſolutè dicimus expeti id, quod propter ſe expetatur. Ita in qualibet hic ſententia permanet quodam modo: ille ab eadem abducitur, ac propter ſe in vera permanet. Sunt autem qui in ſententia permanent, ſunt etiam quos pertinaces vocãt, quales ſunt ij qui deſiſtunt ægrè à ſententia, nec diſſuaderi facilè poſſunt. Hi ſimile quiddã habent continenti, vt prodigus liberali, & audax forti, cùm ab eo abſint, diſténtq; plurimúm. Qui enim perturbatione aut cupiditate nõ abducitur à ſententia, is continens dicitur, quandoquidem ſi ita res ferat, deſiſtet facilè à ſententia continens: illi verò non ratione ducti mutant ſententiam. Nam ſe vltro cupiditatibus offerunt plerique, & inflammati voluptate rapiuntur. Pertinaces autem ſunt ſententiæ ſuæ defenſores, & indocti, & agreſtes. Ac ſententiæ ſuæ defenſores, in eo vel voluptatem ſequuntur, vel dolorem. Voluptatem enim ex victoria percipiunt, ſi non dimoueantur de ſententia: & ferunt iniquo animo, ſi ſua, quaſi decreta tol-*

*lantur, & infirmentur. Ita sunt illi quidē impotenti, quàm continenti similiores. Sunt etiam qui non stant in eo quod statuerunt, non propter animi impotentiam, vt in Philoctete Sophoclis Neoptolemus, qui propter voluptatem quidem, sed eam honestam, non permansit in sententia. Nam verum enunciare, honestum illi fuit, cùm illi mentiri induxisset Vlysses. Neque qui voluptatis causa, nisi obscœnè aliquid faciunt, omnes continuò, vel intemperantes, vel scelesti, vel impotentes sunt habendi. Quoniam autem est aliquis eiusmodi, qui minorem, quàm sat sit, corpore voluptatem percipiat, quique cùm sit eiusmodi, non permanet in sententia: fit, vt inter eum & impotentem, medium locum obtineat continens. Nam & propter voluptatis vim quandam maiorem non seruat rationem impotens, & hic propter minorem. At verò continens sic suum iudicium retinet, ac rationem, vt à neutro se patiatur deiici. Quoniámque in bonis est continentia, ambas necesse est contrarias animi affectiones esse in malis. Quod perspicuum est quidem certè, sed quia altera in paucis, atque rarò animaduertitur, idcirco vt temperantia intemperātiæ modo repugnare videtur, sic continentia impotentiæ. Et quoniam multa dicuntur per similitudinem, continentia quoque temperantem similitudine quadam consecuta est. vt enim continens, sic temperans eiusmodi est, qui nihil quod rationi sit contrarium, faciat propter eas, quæ ad corpus pertinent voluptates. Sed hoc interest, quòd in illo insunt, in hoc nullæ sunt prauæ cupiditates: & quòd hic eiusmodi est, qui nulla contra præscriptum rationis capiatur voluptate: capitur ille quidem, sed non rapitur.*

*Similes etiam ſunt inter ſe intẽperans & impotens, cùm ſint & diſsimiles: quoniam vterque voluptates corporis percipit, ſed ille ſentit percipiendas eſſe, hic non putat.*

Cap. 10. NEQVE verò *vnus, idémque vnà prudens eſſe poteſt, & impotens. Nam qui prudens ſit, eundem etiã bonum virum eſſe oſtendimus. Præterea non in eo ſolùm prudens nominatus eſt, quòd intelligat, ſed ex eo etiam quòd vſu rerũ valeat ad actiones & officia. Atqui non eſt idoneus ad rerum actionem impotens. Ingenioſum quidem hominem nihil prohibet impotentẽ eſſe. Itaque nonnulli videntur interdum prudentes, etiam impotentes, propterea quòd, vt ſuperioribus libris oſtendimus, inter ingeniũ & prudentiã ita interſit. Ac ſunt illi quidem finitimi, quòd ad rationem attinet: quòd verò ad electionem, longè diuerſi. Nec verò impotens ita affectus eſt animo, vt qui ſcit, & contemplatur, ſed vt dormientes & furioſi. Idémque ſponte facit omnia (ſcit enim quodammodo & quid, & cuius rei cauſa agat) ſed minimè eſt improbus: rectum enim eſt in eo animi iudicium. Quocirca improbus aliqua ex parte eſt, non iniuſtus, cùm non fraude, & veluti dolo adhibito, agat. Eorum enim quidam nonſtant in eo quod iudicarunt. At qui atra bile abundat, non deliberat omnino. Similis eſt igitur impotens ciuitati, quæ ſtatuit illa quidem quæ ſunt præclara omnia, legéſque habet & bonas & ſalutares, ſed nulli paret. Id quod Anaxandrides facetè dixit, Vult ciuitas leges, quas non ſeruat tamen. Improbus autem ei, quæ ſeruat illa quidem leges, ſed malas & perniciosas. Sed in eo quod multitudinis vires vincit, omnis & continentia & impotentia cernitur. Ille enim diutius, hic minus diu*

*præstat in sententia, quàm vires ferant plurimorum. Faciliúsque impotentia sanari eorum potest, qui atra bili tenentur, quàm eorum qui statuunt, nec stant in eo quod sit iudicatum. Et ij qui consuetudine, quàm qui natura impotentiam compararunt. Est enim facilius consuetudinem mutare, quàm naturam: quippe cùm propterea sit difficilis cõsuetudo, quòd ad naturam proximè accedat. Id quod etiam Euenus poëta carminibus tradidit:*

„ *Consuetudo valet, longos mansura per annos:*
„ *Illáque naturam, vires si sumpserit, æquat.*

*Ac continentia quid sit, quid impotentia, quid constantia & mollities, quam hæ inter se rationem habeant animi affectiones, iam expositum explicatúmque est.*

VOLVPTAS *autẽ quid sit, quid dolor, quæque eorum vis & natura, philosophi ciuilis est tenere & cognosse: quippe cùm is sit finis beatæ vitæ quasi architectus, quem intuentes alia in bonis, alia in malis esse censeamus. Iam verò cùm virtutes & vitia more perfecta, in voluptate ac dolore cerni posuerimus, plerique etiam cum voluptate vitam beatã coniunctam esse affirment: hæc nobis de voluptate & dolore etiam necessariò suscipienda disputatio est. Itaque* μακάριον, *id est beatum,* ἀπὸ τοῦ χαίρειν *nominarunt. Sunt igitur, qui nullã voluptatem bonũ esse censent, neque propter se, neque propter aliud: quòd non idem sit bonum & voluptas. Alij nonnullas in bonis numerant, multas in malis. Tertia etiam est sententia eorum qui asserunt, & si omnes in bonis sint, tamen non posse summũ bonum in voluptate numerari. Omnino quidem non est bonum voluptas, quòd voluptas omnis sit motus quidã, qui cum sua-* Cap. II.

*uitate quadam naturam mouet, & ad eam affluit & illabitur. Neque enim ex eodé genere ſunt motus & finis, vt nulla in ædificando ſuſcepta opera, domus vocatur. Præterea & temperans voluptates fugit, & prudens ſequitur id quod dolore vacat, non quod voluptatem efficit. Impedit etiam voluptas conſiliũ, eóque magis, quò maior ſit, vt veneris: qui enim in ea ſit, nihil agitare mẽte, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poteſt. Iam verò nulli arti quaſi materia quam tractet, & in qua verſetur, ſubiecta eſt voluptas, cũ interim omne ſit artis opus in bonis. Præterea voluptatem & pueri perſequuntur & belluæ. Nam non omnes eſſe in bonis, hinc perſpici poteſt, quòd earum quædam obſcœnæ ſunt, & vt probra obiiciuntur, & quòd nocent. Quædam enim eorum quæ ſenſum dulcedine quadam permulcent, morbos afferunt. Non eſſe autem in voluptate ſummum bonum, quòd non finis ſit, ſed motio quædam & ortus. Atque hæc ferè ſunt, quæ de voluptate aſſerunt.*

Cap. 12. EX *quibus non effici, vt voluptas ne ſit bonum, neque ſummum bonũ, primùm ex hoc intelligi poteſt, quòd cùm duplex ſit bonum, alterum, quod abſolutè & per ſe bonum ſit: alterum, quod alicui bono ſit, & vſui: eodẽ etiam modo naturæ, & habitus conſequentur: ita & motiones ac generationes. Quæque malæ videntur, perfectè & per ſe malæ ſunt, alicui non ſunt, ſed expetendæ. Quædã verò certo cuidã voluptati non ſunt, ſed aliquando, & perexiguo tempore: expetendæ non item. Aliæ non ſunt voluptates, ſed videntur omnes eæ, quæ cum dolore coniunctæ ſunt, & remedij cauſa adhibentur, quales ſunt ægrotorum. Deinde cùm bonorum aliud ſit actio, aliud habitus, quæ ad*

*conſtitutionem habitus naturalis pertinent, acceſsione ac fortuitu ſuaues ac iucundæ ſunt, nõ ſimpliciter: actus enim in cupiditatibus eſt deficientis nõ ſine moleſtia habitus atque naturæ. Sunt enim quæ dolore & cupiditate vacant voluptates, quales ſunt quæ cognitionis contẽplationísque cauſa percipiuntur, tum cùm natura nihil deſiderat. Quod ex eo perſpici poteſt, quia non eiſdem rebus voluptatẽ parientibus delectantur homines, tum cùm natura expleta & ſatiata eſt, & cùm adhuc expletur: ſed cùm iam contenta eſt iis quæ omnino ac per ſe iucunda ſunt: cùm adhuc expletur, nec contenta eſt, cõtrariis. Nã & acribus & amaris tum delectari ſolent, quorũ nihil natura gratũ eſt, neque abſolutè iucundum. Ita ne voluptates quidẽ. Vt enim quæ habent delectationẽ, inter ſe affecta ſunt: ſic eæ etiam quæ ex illis percipiuntur voluptates. Nec verò aliud aliquid neceſſe eſt voluptate eſſe præſtantius, vt nonnulli aſſerunt, finẽ ſcilicet motu eſſe præſtantiorẽ. Neque enim ſunt motiones voluptates, nec copulatæ ſunt omnes cum motu: ſúntque potius actus & finis: nec dum gignuntur eueniunt, ſed cùm ad vſus adhibẽtur. Non eſt etiã finis omnibus alius propoſitus, ſed iis modò, quæ ad perfectionem naturæ pertinent. Itaq; illud non eſt præclarè dictum, Voluptatem eſſe motũ quendã cum ſuauitate ad ſenſus affluentẽ: ſed definiẽda fuit potius, actus eſſe habitus naturæ congruẽtis: & pro illo, ad ſenſus illabens, non impeditus. Quanquam motus quidã videtur eſſe id, quod propriè & verè ſit in bonis: cùm præſertim actum motũ eſſe putent, cùm tamen reuera ſit aliud. Nã quod aiunt, malas eſſe, propterea quòd morbos pariant nonnullæ res, quæ voluptatẽ efficiãt, idem*

valet contra ſalubria, quorũ quædam rei numariæ obſunt. Hac quidẽ ratione vtraq; erunt noxia. Atqui ex hoc quidem nõ ſunt mala æſtimanda, quoniam cognitio etiã rerum nocet interdũ valetudini. Neque verò prudentiã aut habitum vllũ impedit, quæ ex quoque habitu percipitur voluptas, ſed abſurdæ. Etenim quæ ex diſcendo & contemplando capiuntur voluptates, iniis inuitamenta quædã inſunt, quibus magis ad diſcendũ cognoſcendúmque moueamur. Quòd autem afferunt arti nulli voluptatẽ, quaſi materiam quã tractet, eſſe propoſitã, præclarè cecidit. Neq; enim vllius alterius actus ars eſt, ſed potius facultatis. Quanquã voluptatis videntur eſſe vnguentaria & culinaria. Quòd verò aiũt, temperantẽ fugere voluptates, prudẽtémque ſequi vitã dolore vacantẽ, pueros autem & belluas voluptatẽ perſequi, hæc vna ratione omnia refellũtur. Sunt enim, vt diximus, nonnullæ per ſe bonæ & honeſtæ, aliæ non honeſtæ, quas pueri ac belluæ ſequuntur: prudens autem earum vacuitatem, quæ cum cupiditate & dolore coniunctæ ſunt, quæ eadem ad corpus pertinent: (hæ enim ſunt ex eo genere) & intemperans eas nimias, ex quibus intemperans nominatus eſt. Itaq; moderatus vir eas fugit, quoniam ſunt & temperantis quædam propriæ.

Cap. 13. HOC verò inter omnes conſtat, dolorem malũ eſſe atque fugiendũ. Nam alius abſolutè malum eſt, alius quia eſt impedimento. Quod autẽ ei contrarium eſt quod fugiendum ſit, quia fugiendum eſt atque malum, omne id bonũ. Eſt igitur bonũ voluptas. Neque enim ita proceſſit refutatio, vt diſſoluebat Speuſippus, vt maior res minori cõtraria ſit, & pari, ita voluptatẽ dolori eſſe contrariũ. Neq;

*enim dicas voluptatem, idem quod malum quoddam esse. Sed nihil prohibet summum esse bonum quandã voluptatem, etiam si nonnullæ numerentur in malis, vt si perniciosæ sint aliquæ scientiæ, tamen sit aliqua in bonis scientia. Quinetiam si ab vnoquoque animi habitu proficiscantur, non impeditæ actiones, siue in omnium actione sit beatitudo, siue in earum aliqua non impedita: profectò eam necesse sit expeti maximé. Atqui hoc ipsum est voluptas. Ita erit summum bonum quædam voluptas, etiam si aliquæ in malis ponantur omnino. Ob eámque causam beatã vitam etiam iucundam ducunt omnes, & cum voluptate coniungunt, nec iniuria. Nulla enim actio si impedita sit, perfecta esse vllo modo potest. Beatitudo autem vndique perfectum quiddam & absolutum ponitur. Quocirca corporis bonis & externis atque fortuna eget beatus, vt ne hæc impediri possint. Quia autem beatum eum dicunt, qui equuleo torqueatur, maximísque opprimatur calamitatibus, dũ modo vir bonus sit: vel voluntate sua, vel inuiti, nihil dicunt. Videtur autem quibusdã beata vita idem esse quod secunda fortuna, hoc ipso quòd externis bonis sit opus. Nõ ita est. Ea enim si immoderata est & immensa, impedimento sit beatæ vitæ, nec iam fortassis prosperitas appellari debeat. Est enim eius à beata vita modus terminúsque pe tendus. Sed voluptatem quidem esse summum bonũ quodammodo, hinc intelligi potest, quòd eam omnes homines & belluæ sequuntur. Famáq; nulla esse potest quam multa per orbem turba hominum celebrat. Sed quoniam non eadem est aut videtur natura affectióve optima, idcirco non eandem omnes sequuntur voluptatem: sed tamen vo-*

*luptatem omnes, non quam putant quidem, aut quam ipſi optimã eſſe aſſererent, ſed tamen eandẽ fortaſſis perſequuntur. Eſt enim natura diuinum quiddã inſitũ omnibus. Sed nominis hæreditatem ſibi vendicarunt & ſumpſerunt ad corpus pertinentes voluptates, quòd ferè ad eas procliues ſint omnes, earúmq; ſint participes. Quoniã igitur hæ ſolæ notæ ſunt, idcirco has ſolas eſſe putant. Illud etiã perſpicuũ eſt, niſi ſit voluptas bonum & actio, non poſſe iucundè viuere beatum. Quamobrem enim eam deſideret, ſi non ſit in bonis? Quinetiam euenire poterit vt iniucundè & cum dolore viuat. Neque enim dolor bonum ſit aut malũ, niſi etiam voluptas ſit. Ita quamobrem eum fugiat? Neque verò iucundior ac ſuauior ſit vita boni viri, niſi etiam eius ſint actiones.*

Cap. 14. DE *iis autem voluptatibus quæ ad corpus pertinent, iam diſſerendum eſt nobis, quoniam nonnullas voluptates vehementer expetendas dicimus, vt ſi honeſtæ ac liberales: non corporis, nec in quibus verſatur intemperans. Quid eſt igitur, cur dolores contrarij ſint in malis? ſiquidem malo bonum eſt contrarium. An quia quod malum non eſt, id bonum eſt, ita ſunt neceſſariæ in bonis? an ad certum aliquem vſque terminum & modum ſunt in bonis? Nam quibus in affectionibus motionibúſque tranſire modum non licet, nec in voluptate licet, quibus licet & in voluptate. Voluptatum autem corporis eſt quædam immoderata copia & exuperantia, & malus in eo cernitur, quòd immodicè his perfruitur, non quia neceſſariis. Omnes enim modo quodam & epulis delectantur, & vino, & venere, ſed non vt ratio poſtulat. Contráque fit in*

*dolore. Neque enim malus nimium dolorem fugit, ſed dolorem omnino: quippe cùm ei non ſit quod nimium eſt, cõtrarius, ſed ei qui quod immoderatũ eſt ac nimium, perſequitur. Et quoniam non ſolùm verum enunciandum eſt, ſed cauſa etiam afferenda eſt, cur quicque falſum ſit (hoc enim ad fidem valet. Nam cùm apparet conſentaneum eſſe, quamobrem viſum ſit verum quod verum non eſſet, tum id facit, vt vero magis aſſentiamur) idcirco afferenda ratio eſt, cur voluptates corporis magis expetendæ eſſe videantur. Ac primùm quidem certè, quòd depellunt dolorem. Itaque cùm maioribus quibuſdam doloribus excruciantur, tum quaſi medicinam quandam, ſingularem corporis voluptatẽ perſequũtur. Quoniam autem vehementes curationes adhibentur, idcirco eas perſequuntur, propterea quòd ex aduerſo contrarium ſpeciem ſui exhibeat. Non igitur bonum videtur voluptas, vt dixi, his duabus de cauſis, quòd aliæ ſunt actiones deprauatæ naturæ: aut ſimul vt orta eſt, qualis eſt ferarum: aut conſuetudine, vt flagitioſorum hominum. Aliæ ſunt medicinæ & curationes eius quod deſideratur, quas melius eſt adeſſe quàm gigni. Quædam quoniam cùm perficiuntur, percipiuntur, ex accidente ſunt bonæ & honeſtæ. Iam expetuntur ab iis qui aliis affici non poſſunt, hoc ipſo quòd firmæ ſunt & vehementes. Itaque ſitim quandam ſibi ipſi obſonant & comparant: quæ ſi non noceant, caret reprehenſione: ſin noceant, eſt in vitio. Neque enim præſtò ſunt aliæ quibus perfruantur. At neutro genere perfrui pleriſque moleſtum eſt, idque ob ſuam cuique naturam. Sunt enim in perpetuo labore animantia, vt etiã naturalis*

*ratio declarat, quæ cernere & audire moleſtum eſſe docet, ſed aßiduitate quotidiana, vt aiunt, & conſuetudine ſenſuum aſſueuimus. Similitérque in adoleſcentia homines ita affecti ſunt propter accretionem, vt vinolenti: & iucunda eſt adoleſcentia. At verò qui atra bili ſunt natura, ij ſemper requirunt deſiderántque medicinam, quòd eorum corpus continẽter pungatur, propter temperationem, & vehementes ſemper habent appetitiones. Atqui aufert dolorem, quæ vis etiam, dum vehemens ſit & dolori aduerſaria voluptas, ob eámque cauſam homines intemperantes fiunt & flagitioſi. Quæ autem vacãt dolore voluptates, earum nullæ ſunt exuperantiæ: quo ex genere ſunt quæ ex iis gignuntur, quæ habent ſuapte natura, nõ fortuitò & caſu oblectationẽ. Dico autem fortuitam habere oblectationẽ ea, quæ medicinam faciunt. Nam quod accidit, vt curent, cooperante eo quod in nobis adhuc ſanum eſt nutriendi principio, idcirco efficere videntur voluptatem. At verò ſuapte natura voluptate afficiunt, quæ eiuſmodi naturæ actionem perficiunt & abſoluunt. Res autem nulla nos ſemper eadem delectat, quòd non eſt natura noſtra ſimplex, habétque in ſe quiddam admixtum, diſpar ſui ac diſſimile, quo eam interire neceſſe ſit. Ita ſi quid pars altera faciat, id continuò à natura alterius ſit alienum. Sin quãdo ad æqualitatem pars vtraque reuocetur, nec iucundum videtur quod agitur, neque moleſtum. Nam ſi natura ſimplex ſit alicuius, eadẽ ſemper ex actione ſummã capiat voluptatem. Itaque ſemper vna Deus, eáque ſimplici voluptate perfruitur. Neque enim mõtionis tantummodo eſt actus, ſed etiam ſtabilitatis: & magis eſt*

*in ſtabilitate voluptas, quàm in motu. Fit autẽ neſcio quo vitio hominum, vt, ſententia Poetæ, rerum omnium nihil iucundius mutatione, nihil ſuauius eſſe videatur. Vt enim homo malus facilè huc atque illuc impellitur: ſic etiam natura ea quæ eget mutatione, quoniam nec ſimplex eſt, nec recta. Dictum eſt de continentia, de impotentia, de voluptate & dolore, quid etiam ſit vnumquodque eorum, quóque modo eorũ aliqua in bonis ſint, alia in malis. Superest vt de amicitia dicamus.*

# ARISTOTELIS
## ETHICORVM LIB. VIII.

EQVITVR *vt deinceps de amicitia dicendum eſſe videatur: quando quidem aut virtus quædam eſt, aut cũ virtute copulata. Eadẽ etiam ad vſum vitæ eſt neceſſaria maximé. Nã quis eſt qui velit, vt ne diligat quenquam, nec ipſe ab vllo diligatur, circunfluere omnibus copiis, atque in omni rerum abundãtia viuere? Etenim vt quiſque maximè opibus, principatu & poteſtate excellit, ita amicis maximè indiget. Quis enim eſſet tantus fructus in proſperis rebus ſublata benignitate, quæ & in amicos extat maximè, & ampliſſimis laudibus afficitur? Aut quo tandem modo, ſine amicis cuſtodiri cõſeruarique poſſent? quarum poſſeſſio quo eſt maior, eo plus requirit ad ſe tuẽdam. In paupertate etiã,* Cap. 1.

*cæteríſque aſperis rebus omnibus, amicorum bonitatẽ perfugium ſolum putãt commune eſſe omnium. Iam & adoleſcentes in officio cõtinent amici, & ſenibus ad obſequiũ præſtò ſunt, eáſque vitæ actiones fungẽdas, quibus propter imbecillitatem deeſſe cogũtur: & cõſtanti ætati comites ſe ad præclara honeſtáque facinora præbent. Etenim ſi duo vnà iter faciãt, & maiora animo ac mẽte agitare, & plura cõficere poſſunt. Ac mihi quidem certè videtur natura eſſe inter natos & parẽtes: quod nòn ſolùm in hominibus animaduerti poteſt, ſed in auibus etiam animantibúſque plurimis, iíſque omnibus, qui quodam gẽtilitatis iure ſunt ac ſocietate coniuncti. Sed hoc in homine eſt multò euidẽtius: vnde ita laudibus eos afficimus, qui aliis conſulunt vt* φιλανθρώπους *appellemus. Cernere etiã licet in peregrinationibus, quàm ſit omnis homo homini cõiunctus & amicus. Videturque amicitia rempub. continere, & maiore, quàm iuſtitia, in ſtudio fuiſſe legumlatoribus. Nã cùm amicitiæ ſit cõcordia ſimilis, & hãc maximè ſequuntur illi, & ſeditionem quæ ei inimica ſit, omni ratione exterminãt. Quòd ſi amicitia inter omnes eſſet, nihil eſſet quòd iuſtitiã deſiderarent. At ſi iuſti eſſent, tamẽ amicitiæ præſidiũ requirerent. Et quod ius præſtãtiſſimum eſt, id amicitia & charitate cõtineri videtur. Nec verò res eſt ſolùm neceſſaria, ſed honeſta etiã atque præclara. Nam & eos laudamus, qui amicos diligũt, & à multis diligi præclarũ ducimus, & nõnulli etiam viros bonos eoſdem amicos putãt. Sed de ea inter philoſophos multa diſſenſio eſt. Alij enim eam ſimilitudinem quandam ponũt, & amicos ſimiles. Ex quo prouerbia facta ſint, Pares cum paribus facillimè congreganturꝰ*

*&, Graculus cum graculo, & cætera generis eiusdẽ. Alij contra figulos aiunt ita esse inter se animatos, eorúmque causas lõgius & à natura studiosius petũt. Euripides quidem, Terram ait cùm sicca est, desiderare imbrem: Cœlum autem cùm magna aquæ copia abũdat, terrã expetere. Et Heraclitus, Cõtrarium vtile: &, Ex rebus disparibus & dissimilibus pulcherrimum cõcentum effici: &, Discordia effici omnia. Ab his cùm multi alij, tum Empedocles dissentit: Nam pares cum paribus facillimè cõgregari. Quæstiones igitur naturales quoniam non sunt huius disputationis, omittamus, & eas quæ naturam attingũt humanam, quæque ad mores perturbationésque animi pertinent, tractemus: veluti, Vtrum in omnibus sit amicitia, an inter malos esse nõ possit: &, Num sit vnum modò genus amicitiæ, an plura. Qui enim vnũ esse putãt, quod accessionẽ & decessionẽ admittat, nõ satis magno illi quidẽ argumẽto nituntur. Habent enim accessionem & decessionem multa, quæ genere inter se differunt, de quibus suprà diximus.*

HAEC *autem facilè intelligentur, si quid sit amabile cognouerimus: quippe cùm nõ videãtur diligẽda omnia, sed ea duntaxat, in quibus inest causa diligendi: in quibus sunt bona, iucunda, & vtilia. Vtilia autem sunt, ex quibus bonum aliquod percipitur, vel consequitur voluptas. Ita in eo quod amabile est, vel bonum, vt finem sequimur, vel voluptatem. Sed vtrum id quisque diligat, quod absolutè bonum est, an quod sibi bono est, quæstio est: quoniam hæc interdum inter se discrepant. Itémque de iucundis rebus: quæri potest. Videtur autem id vnusquisque amare, quod sibi bono est. Quod verò perfectè absolutéq; bonũ est,* Cap. 2.

*per se omne amabile. Vnicuique, quod sibi quisque bonũ iudicat. Quod autem cuique bono sit, non id quisque diligit, sed quod esse videatur. Nihil interest, quoniam erit amabile quod videatur. Quoniam autem ab his tribus omnes causæ diligendi proficiscuntur, cum iis quidem quæ inanimata sunt, nemini esse amicitia dicitur. Non est enim mutuus amor in eis, nec ea volũt bonis affici. Rideatur enim, si quis vinum bonis affici velit, sed integrum ac saluum omnes volunt, ad vsus suos. Atqui omnes aiunt oportere amicum velle bonis affici, eius causa, nulla vtilitate quæsita. Qui autem ita aliis benignè agunt, eos beneuolos appellant, si idem ab illis vicißim non fiat. Beneuolentiam enim aiunt in iis, qui vicißim idem faciunt & accipiunt, amicitiam esse. Sed nunquid eò addendum est, si non sit occulta? Multi enim propter bonitatis vtilitatísque opinionem, etiam eos quos nunquam viderunt, quodam modo diligunt: fierique potest, vt eorum aliquis sic vicißim in hunc sit animatus. Quocirca hi beneuolentia inter se, illi quidem coniuncti videntur esse. Sed amicos quis eos dixerit, cùm quemadmodum inter se animati sint, ignorent? Amici ergo & beneuolentia inter se apertè colligati debent esse, & se velle vltro citróque bonis affici: cùm se non ignorent, propter vnum aliquid eorum quæ dicta sunt.*

Cap. 3. SED *quoniã hæc inter se genere differunt, amores etiã & amicitiæ differũt. Sunt enim tria amicitiæ genera, quæ rebus amabilibus æquabiliter, paritérque respondent. Est enim suus cuiusque generis mutuus amor haud obscurus. Et qui inter se diligunt, alteri alteros se bonis affici volũt, quia diligũt. Ac ij quidem qui vtilitatis causa colũt ami-*

*citias, non propter se causáque sua inter se amant, sed quia vtilitas aliqua vtrinque pariatur. Eadẽ est ratio eorũ qui amicitias colũt propter voluptatem. Nõ enim facetos propterea diligũt, quia probi sint, sed quia delectẽt. Quapropter & ij qui vtilitatis causa amicitias sequuntur, suis cõmodis: & ij qui delectationis causa, amorem sua ipsorũ voluptate metiũtur. Nec quia ij sunt, illi quos amãt, qui digni sunt quos amemus, sed quia fructuosi & iucũdi. Sunt ergo hæ fortuitæ, & fucatæ amicitiæ: quoniam non idcirco qui diligitur colitur, quia is ipse sit: sed quia vel vtilitatis præbitor sit, vel minister voluptatis. Quocirca celeriter hæ quidem tales amicitiæ dirimũtur: quippe cùm pares ac similes illi qui hæc sequuntur, minus permaneãt. Etenim si iam nõ sint voluptati, nec vtilitati, ab amore desistunt. Et quoniã vtilitas nõ permanet, aliáque alia paritur, eo quod amicitiam cõstituerat sublato, amicitia etiã dissoluitur, quòd iis amicitia cũ illis rebus intercederet. Cuius generis amicitia maximè senes attingit. (nõ enim id ætatis homines voluptatem in amicitiis, sed vtilitatẽ sequuntur) atque homines corroboratis iam cõfirmatíque ætatibus, & adolescẽtes ij omnes, qui emolumẽtum & fructũ sequuntur. Cúmque nõ admodum eiusmodi homines cõmunione vitæ cõsocientur (interdum enim ne effabiles quidẽ iucundósque se esse volũt) fit, vt ne hanc quidem vitæ consuetudinem desiderent, nisi ex ipsis fructus vtilitáque capiatur. Manent enim iucundi tandiu, quandiu sperant se aliquem fructum esse facturos. Quo in genere hospitalitatem ponunt. At verò adolescentum amicitia voluptatis causa omnis constituta videtur esse. Eorum enim cùm omnis in libidine & pertur-*

*batione vita consumitur: tum ex quo capiant voluptatem, eámque in præsens, id omne vel studiosissimè persequuntur. Et quia mutata ætate alia sequuntur quæ delectent, idcirco repẽtè & amici fiunt, & ab amore desistũt. Nam eorum amor sæpe vnà cum voluptate deponitur, cuius cita est & repentina mutatio. Atque etiam adolescentes ad fœdum amorem propensi sunt: magna enim pars fœdi amoris in perturbatione & voluptate ponitur. Itaque & citò diligunt, & ab amore desistunt sæpe eodem die mutata sententia. Hi vnà versari totos dies cupiunt, & vitæ societate coniungi, quòd isto modo eis adsint omnia quæ ab amicitia expectant. At verò perfecta illa amicitia est, qua viri boni pari virtute præditi, inter se coniuncti sunt & copulati. Hi enim vltro citróque bonis se affici volũt, quia sint boni: boni autem sunt per se. Qui autem amicos affici bonis cupiũt illorum causa, ij maximè amici habendi sunt. Sũt enim per se ita affecti animo, nõ per aliud quippiam. Manebit igitur horum amicitia tandiu, quandiu boni futuri sunt. At virtutis manet certa & stabilis possessio. Atque etiam omnino vterque bonus est, & alteri: siquidem viri boni & absolutè boni sunt, & vicissim inter se vtiles, itémque iucundi. Qui enim verè boni sunt, ijdem etiam inter se alter alterum oblectant. Suæ enim cuique ac tales iucundæ actiones, & bonorum sunt eiusmodi, vel similes actiones. Sed hæc talis maximè firma est, & stabilis amicitia, nec sine causa. Sunt enim in ea omnia quæ amicis inesse debent. Omnis enim amicitia, vel ad fructum dirigitur, vel ad voluptatem, idque aut simpliciter ac per se, aut eius quo cum intercedit nobis amicitia: &*

*omnis quadam inter amicos paritate & similitudine constat, quæ huic per se insunt omnia. Huic enim similia sunt reliqua: quódque per se bonum est, idem est per se iucundum, quibus nihil amabilius reperiri potest. Ergo in illis maximè inest amor & amicitia, eáque optima. Iure autẽ rarum est maximè istud genus amicitiæ. Siquidem hominum huius generis magna est penuria, & tempore ac consuetudine opus est. Nam verum illud est, Multos modios salis simul edendos esse, vt inter se norint. Nec antè quidem probari, aut amici esse possunt, quàm habeant quasi signa quædam & notas, quibus vterque alterum, an ad amicitiam sit idoneus, iudicet. Qui verò nimis citò ea omnia vicissim inter se perficiunt, quæ ad amicitiam pertinent, ij se illi quidem amicos esse volunt, nec sunt tamẽ, nisi sint digni amicitia, itaque iudicent de se mutuó. Repentè quidem cõciliandæ amicitiæ voluntas nascitur, amicitia nõ item. Est igitur illa amicitia & tempore, & reliquis rebus ad amicitiam necessariis perfecta. Quæ omnia & similia ab vtroque extãt in alterum, quæ quidem in amicis inesse cõuenit.*

QVÆ autem iucunditatis causa conflatur, huic est similis. Boni enim viri se vltro & citro oblectant. Itémque ea quæ vtilitatibus emolumentísq; colitur: siquidẽ viri boni tales se alter alteri præbẽt. Tum verò amicitiæ huius generis permanent diutissimè, cùm ab amicis paria, vt iucunditates ministrantur. neque ita solùm, sed si etiam ab eodem proficiscantur, vt facetis contingit, non vt in amante, & eo quem ille insano amore deperit. Neque enim ijsdem rebus oblectantur isti, sed ille forma huius, hic amatoris obsequio & obseruãtia. Simul ac igitur forma immutata est, *Cap. 4.*

*interdum etiam amicitia dissoluitur, cùm in hoc nõ est iucundus aspectus, ab illo hic non colitur. Sed plerique in amicitia permanent, si moribus similes consuetudine adiuncta mores consentientes inter se diligant. Qui autem in amoribus non iucunditatem, sed vtilitates permutant, & minus diligunt, & diu permanent in amicitia. Qui verò amici sunt spe quæstus & emolumenti, eorum amicitiam vtilitas commutata dissoluit: quippe qui se non inter se diligerent, sed vtilitatem & fructum. Quocirca suauitatis vtilitatisque causa & malis inter malos, & bonis cum improbis, & neutris cum quolibet amicitia esse potest. Sed perspicuum est in solis bonis verã perfectámque esse amicitiam. Mali enim malis, nisi quid emolumenti consequatur, non oblectantur. Sola etiam bonorum amicitia reprehensione, & criminationibus caret. Non enim facile est criminibus aliquem oblatis credere de eo, quem ipse diu probauit, atque perspexit. Præterea & fides in his viget, nec vllus relinquitur iniuriæ locus, cæteráque omnia quæ in vera amicitia postulantur. In aliis autem societatibus nihil prohibet hæc talia existere. Quoniam enim homines, eos etiam amicos appellant, qui vtilitatibus, emolumentis, & fructibus amicitias dirigunt, vt ciuitates, in quibus societates nasci videntur, vtilitatis causa: & eos qui oblectationis causa inter se amant, vt faciunt pueri, certè hos tales homines nos etiam amicos appellemus. Amicitiæ autem genera sunt plura. Ac primũ quidẽ & propriè amicitiã eam nominamus, quæ inter bonos est, quia boni sint: reliquas ex similitudine. Amici sunt idcirco, quia in eis aliqua est boni significatio & similitudo. Etenim iucundi-*

*tas bonum iis videtur, qui ſtudioſi ſunt iucunditatis. Nec hæ ferè amicitiæ copulatæ cõiunctæque reperiũtur in quoquam, nec iidem vtilitatis cauſa fiunt amici & voluptatis, quòd non admodum conuenire in vnum, & connecti ſolent, quæ temere & caſu eueniunt. Cúmque in hæc genera diſtributa ſit amicitia, improbi quidem amici futuri ſunt vtilitatis voluptatíſque cauſa, quia ſimiles ſint: boni autem per ſe amici ſunt, quia probi. Hi ergo abſolutè amici nominantur, illi fortuitò, & quia his ſunt ſimiles.*

VT verò *in virtutibus boni, ſic in amicitia alij animo* Cap. 5.
*& habitu, alij vſu & actione amici nominantur. Alij enim vitæ conſuetudine & ſocietate coniuncti, & ſe vltro & citro oblectant, & vtilitates ſuppeditant. Quidam verò dormiunt, diſiunctíve ſunt illi quidem interuallo locorum, nec vtuntur amicitia, ſed ita ſunt affecti animo, vt proprio amicorum munere fungi poſſint. Neque enim locorũ interualla funditus tollunt amicitiam, ſed officia & actionẽ. Quòd ſi ſit diuturna abſentia, amicitiam quoque delet, ac obruit obliuione. Ex quo factum eſt prouerbium,*

„ *Sæpe periſſe amor eſt per longa ſilentia viſus.*

*Sed nec ſenes, nec ſeueri, idonei ad amicitiam vidẽtur: quippe cùm nec in iis ſit admodum iucunditatis, & nemo poſſit cum triſti, nec cum eo in quo nihil eſt iucunditatis viuere. Nam & dolorem natura fugit, & voluptatem ſequitur maximé. Qui autem alteri alteris probati ſunt, nec coniunctione vitæ ſociati, beneuolis ſunt, quàm amicis ſimiliores. Nihil eſt enim tam amicorum proprium, quàm vitæ ſocietas & communio. Præſidia enim & adiumenta inopes deſiderant: ſocietatem vitæ etiam beati,*

*quandoquidem eos ſolos eſſe minimè conuenit. At coniunctio vitæ eſſe inter eos non poteſt, qui nec iucundi ſint, neque iiſdem rebus moueantur: quod ſodalitas videtur maximè continere. Ergo amicitia videtur ea maximè, quemadmodum ſæpe dixi, quæ inter bonos eſt. Amãdum eſt enim, & ſequendum quod abſolutè ac propter ſe bonum eſt, vel iucũdum. Id autem cuique bono eſt, quod ſibi quiſque vtile arbitratur. At probus probo amicus eſt vtriuſque cauſa. Sed amor perturbationi ſimilis eſt, habitui amicitia: quoniam amor non minus iis quæ inanimata ſunt tribuitur: & redamant homines animi iudicio, quod ab habitu proficiſcitur. Boniſque affici volunt, quos diligũt illorum cauſa, non repentino aliquo, quaſi motu incitati, ſed animi iudicio, atque ratione. Et quibus amici chari ſunt, ij ſua ipſorum bona diligunt. Cùm enim vir bonus, amicus paratus eſt, tum in bonis eius, cui eſt amicus ducitur. Quocirca vterque ſua bona diligit, viciſſimque reddit parem animi voluntatem & iucunditatem, quandoquidem amicitia quædam æqualitas dicitur. Hæc igitur in amicitia ea quæ in bonis eſt, inſunt maximé.*

Cap. 6. INTER *ſeueros autem & ſenes, eò rarius amicitia eſt, quò moroſiores ſunt & difficiliores, minúſque delectantur vitæ cõſuetudine. Nã & amicitiæ propria ſunt hæc omnia, & eam cõtrahũt. Itaque amicitiã citò adoleſcẽtes inſtituunt, ſenes nõ item. Neque enim eos charos habere poſſũt, quorum conſuetudine minus delectantur. Itémque ne ſeueri quidem & triſtes. Et quanquam hi tales homines beneuolentia inter ſe coniunguntur, cùm ſuos bonis velint affici, & adiumenta præſidiáque ſuis rebus duris pe-*

*tant: tamen amicitia inter eos locum non habet, quòd cum aliis versari nequeant, neque se vltro & citro vlla re oblectare, quæ ad amicitiam omnia maximè videntur pertinere. Sed perfecta cum multis amicitia instituui nõ potest: sicut fieri non potest, vt insano amore vnà multi colantur. Est enim hoc, vt excessus quidam. Quod verò est tale, cum vno natura videtur intercedere. Eidem autem simul vehementer probari ac placere multos, nõ facile est. Sed nec bonum esse fortasse est facile. Experiendum etiam est, & cõsuetudo adiungẽda, quod est omnium difficillimum. Nam vtilitatis causa & delectationis multis idem placere potest, quòd & huius generis sint multi, & breui tempore possint, quæ huc pertinent omnia suppetere. Horum autem generum magis illa nomen videtur obtinere amicitiæ, quæ delectatione & iucunditate vitæ dirigitur: cùm in hoc genere eadem efficiant vtrique, & se alter alterum oblectent, & iisdem rebus moueantur: quales sunt adolescentum amicitiæ, in quibus magis viget liberalitas. At verò quæ emolumentis, vtilitatibus, & fructibus colitur amicitia, illorum est hominum propria, qui in foro versantur. Et beati quidem vtilitates & emolumenta non desiderant, iucunditatem delectationémque desiderant. Viuere enim cum aliquibus cupiunt, & molestias ferunt illi ad tempus: perpetuò verò ne ipsa quidem bona, si molestiam afferant, quisquam perferre possit. Itaque amicos suaues quærunt, quos quidem par est probos esse, & sibi, & amicis. Sic enim eis ea suppetent omnia, quæ amicis adesse debent. Qui verò sunt aliquo imperio præditi, ij amicis distinctis ac disparibus vtuntur. Ex aliis enim vti-*

*litates percipiunt, alios habent ministros voluptatum: quæ duo non ferè in eodẽ reperiuntur. Neque enim aut eos eligunt, qui virtute quasi sale, sermonis iucunditatẽ condiant, aut eos qui sint ad res honestas vtiles: sed cùm facetos qui delectandi studio teneantur, tum eos qui possint imperata exequi. Atqui nõ solent admodum hæc in eodẽ inesse. Dictum est, virum bonum eundem vtilem & iucundum esse: qualis amicus nõ est superiori, nisi etiam virtute superetur. Sin minus, non fit par qui inferior est proportione. Illius verò generis non admodũ multi solent existere. Ergo in æqualitate ac parilitate hæ, de quibus dixi, amicitiæ cernuntur, quoniam eadẽ ab vtrisque extant in alterũ, & sibi ea vicissim optant, aut aliud cũ alio, vt dixi, vt voluptatẽ vtilitate cõmutant. Hoc etiã dixi, eas non esse æquè amicitias, nec diu permanere. Atque etiam videtur ex similitudine & dissimilitudine eiusdem, & esse amicitiæ, & nõ esse. Nã amicitiæ videntur, si cum ea conferantur, quæ virtute diriguntur. Cùm enim iucunditas in vna, in altera insit vtilitas, hæc insunt in illa omnia. Quia verò hæc criminationibus caret, stabilisque ac firma est, illæ autem decidunt celeriter, aliisque multis differunt, non videntur rursus amicitiæ, propter dissimilitudinem quæ iis est cum illa.*

Cap. 7. ATQVE *etiam aliud genus est amicitiæ, quod in excellentia & præstantia cernitur: qualis est patri cum liberis, & seni cum adolescente, viro cum vxore, & principi cum eis quibus præsit. Sed hæ inter se differunt. Non enim eadem est parentibus cum liberis, & iis qui præsunt aliis, cum iis qui eorum in imperio erunt: nec patri quidem eadem est cum filio, & filio cum patre:*

*néc eadem viro cum vxore, vxorique cum viro. Nam cùm alia virtus, aliúdque officium horum vnicuique sit attributum, diuersæ autem & variæ sint causæ diligendi: fit, vt alia atque alia intercedat amicitia & charitas. Nec eadẽ quidem vtrique ab altero officia tribuuntur, nec id quidẽ æquum sit, vel postulãdum. Cùm verò ea tribuunt liberi parentibus quæ debent procreatoribus, parentes vicissim liberis quæ ex se natis debent: tum ibi stabilis quædam & honesta amicitia exoriatur, necesse est. Qua etiã ratione in cæteris amicitiis, quæ in excellẽtia sunt, amor debet existere: vt maior ei charitas debetur, qui præstãtior est, quàm ipse alteri debeat: & ei ex quo maiores vtilitates fructúsque capiantur, itémque cæteris omnibus. Cùm enim amor pro dignitate exoritur, tum existit quodam modo æqualitas, in qua amicitia consistit. Sed non eodem modo in iustitia & amicitia par ratio æqualitásque cernitur. Est enim in iustitiæ æqualitate primo loco eius, quod pro dignitate cuique tribuitur, habenda ratio: secũdo eius, quantum quisque auferre debeat. At in amicitia cõtrà, primum locum, quantitatis: secundum, dignitatis æqualitas tenet. Quod ex eo perspici potest, quia si magna sit inter amicos virtutis, vel vitij, vel facultatum, vel aliarum rerum distantia, nõ iam in amicitia permanent, nec dignos quidem se iudicant. Quod in Diis est multo etiam euidẽtius, ex eo quòd omnibus bonis longè ac multum superent. Id quod etiam in regibus cernere licet, quorum amicitia multo his inferiores homines se indignos putãt. Et nequam homines se indignos censent, qui optimis viris atque sapientissimis sint amici. Ergo incertum est quatenus hi perma-*

*neant in amicitia: cũ ſi multa eximãtur, etiam maneãt: ſin magna ſit diſtãtia, vt Dei, nõ iam manet amicitia. Ex quo exiſtit quæſtio, num aliquando velint amicos bonis quàm maximis affici, vt Deos eſſe. Neque enim iam amici futuri ſunt: nõ igitur erunt in bonis, nam in bonis amicorũ amici numerãtur. Quòd ſi præclarè illud dictũ eſt, ſuũ quemque amicum bonis affici velle illius cauſa, profectò permaneat ille in amicitia oportet, qualiſcunque hic ſit futurus. Ipſi ſanè vt homini maxima bona ille quidem optabit, ſed non omnia fortaſſis. Se enim quiſque maximè diligit.*

Cap. 8. SED *plerique videntur diligi malle quàm diligere, propter ambitionem. Itaque multi amici aſſentatorum reperiuntur. Eſt enim amicus nimius aſſentator omnis, aut certè ſe eum vult videri, qui diligere, quàm diligi malit. Hoc autem ipſum diligi haud procul abeſt ab eo quod eſt honore affici, cuius cupiditate multi inflammãtur. Neque verò honorem propter ſe expetunt, ſed per aliud. Plerique enim ex eo voluptatẽ percipiũt, ſi à viris qui imperio præditi ſunt, honore afficiantur: quòd ſperãt, ſi qua re egeant, fore vt ab iis cõſequãtur. Interim verò quaſi ſigno & argumento accipiẽdi beneficij honore lætãtur. Alij cũ à probis & notis honorẽ ſibi tribui cupiãt, illorũ de ſe cõfirmare volũt opinionem. Gaudẽt igitur ſe probos eſſe, illorũ quidem iudicio quod approbant. Sed per ſe gaudẽt ſe charos eſſe: quod ideo melius eſt, quàm honore affici. Et per ſe expetenda amicitia eſt, quæ magis in eo eſt, vt colas, quàm vt colare. Quod ipſum matres declarãt: quæ ex eo quòd diligãt, magnam capiũt voluptatem. Quædã enim dant nutriẽdos liberos, eóſque vltro ac ſponte diligũt, nec ab iis vi-*

*ciſsitudinẽ amoris poſtulant, ſi fieri vtrunque non poſsit, ſatísque ſibi fieri putant, ſi præclarè cum illis agi perſpiciant. Quin etiam eos diligunt, quanuis eis non poſsint propter ignorationẽ tribuere quæ debẽt. Cúmque in eo magis cernatur amicitia, vt diligamus, iíque homines laudentur, quibus chari ſunt amici, fit vt amicorũ virtus ſit in amando. Itaque omnes qui hoc faciunt pro dignitate, amici ſtabiles, conſtantéſque ſunt habendi: eorúmque firma & ſtabilis amicitia eſt. Iſto etiam modo qui diſpares ſunt, quoniam exæquari poſſunt, facilè ſunt amici futuri: æqualitas autẽ & ſimilitudo quædam amicitia eſt, ac ſimilitudo eorum maximè, qui virtute ac moribus congruunt. Hi enim cùm per ſe ſtabiles ſint & conſtantes, eiuſmodi etiam alij aliis ſe præbent: nec aut flagitia deſiderant, aut miniſtri eorum ſunt, quinetiam ea potius arcent & reprimunt. Probos enim nec ipſos peccare decet, nec amicos ſinere vt adminiſtri ſint libidinis. At verò in malorũ amicitia nihil firmum, nihil ſtabile eſt: quippe qui ſui ſimiles nõ permaneant. Ad tempus amicitias colunt, cùm interim ſua inter ſe alter alterũ improbitate flagitiíſque oblectant. Illi autẽ qui vtilitatibus amicitias dirigunt, quíque ſuauitate, diutius colunt amicitias. Nam amici ſunt tãdiu, quãdiu alter alteri vtilitates oblectationéſque ſuppeditant. Ex contrariis verò eæ maximè conſtare videntur amicitiæ, quæ vtilitatis cauſa cõparantur: vt egens locupleti, docto inſcius. Qua enim quiſque re eget, eam cùm ſibi dari velit, aliam dat viciſsim. Quod ad genus trahere ac transferre licet amatorẽ, & eũ qui amatur, & formoſum & deformem. Quocirca ridiculi videntur interdum amatores, qui ſuo in-*

*ſuos amori, illorũ erga ſe amorem æquum cenſent pariter æqualitérque reſpõdere. Si quidem digni amore ſunt, fortaſsis æquè poſtulãdum eſt: ſin nihil tale habeant, ſit ridiculum. Nec cõtraria quidem certè cõtraria ſuapte natura ſibi expetũt, ſed fortuitò & caſu: éſtque appetitio mediocritatis, quod bonum dicitur, velut ei rei quæ ſicca eſt, non optabile eſt nec vtile, humidam fieri, ſed ad mediocritatem peruenire: itémque rei càlidæ, ac cæteris. Sed hæc quidem, quoniam non ſunt huius diſputationis, miſſa faciamus.*

Cap. 9. IN *iiſdem rebus, vt initio dixi, verſari amicitia & ius videntur: quippe cùm ius in omni ſocietate & amicitia cernatur. Itaque amicos appellant eos, quibus cum vnà & nauigant & militant: itémque eos, quibus cum quampiam aliam ineunt ſocietatem: quandiúque illi homines inter ſe communione aliqua conſociati ſunt, tandiu, quoniam iuris etiam communio, amicitia permanet. Et prouerbium illud rectè, Amicorum bona communia: quandoquidem amicitia in ſocietate conſiſtit. Sunt autem fratrum & ſociorum omnia communia: certa & ſeparata reliquorum: & aliis quidem plura, aliis pauciora: quoniam amicitiæ aliæ grauiores & ſanctiores ſunt, leuiores infirmioréſque aliæ. Sed & iura inter ſe diſcrepãt. Neque enim eadem intercedũt parentibus cum liberis, neque fratribus inter ipſos, nec ſociis, nec ciuibus. Similitérque in aliis amicis. Alia igitur atque alia iura ſunt & officia, aliæ atque aliæ iniuriæ his omnibus inter ipſos: atque hæc pro amicorum gradibus, acceſsionem capiũt. Vt ſocio grauius eſt adimere pecuniam quàm ciui: & fratri non opitulari, quàm externo: & patrẽ verberare, quàm quenuis aliũ.*

*Ius autem vnà cum amicitia augeri ſolet, quippe cùm & iiſdem in rebus ſint, & æquè pateant. Sunt autem omnes ſocietates quædam velut partes ciuilis ſocietatis. Conueniunt enim homines emolumenti alicuius cauſa, & vt aliquid ſuppeditent, quod ad vitæ vſum cultúmque pertinet. Societatem autem ciuilem iam ab initio vtilitas & coïuit & continet. Hoc enim legiſlatores ſpectant: & id demum ius eſſe fatentur, quod publicè prodeſt. Ac cæteræ quidem ſocietates ſibi quaſi finem propoſitam habẽt ſuam quæque vtilitatem, vt nautæ eam quæ nauigationi propoſita eſt, ad cõficiendam pecuniam, vel ad aliquid generis eiuſdem: & commilitones eam quam ſpectat res bellica, ſiue pecuniarum, ſiue victoriæ, ſiue vrbis alicuius potiundæ cupiditate ducantur. Itémque tribules & populares. Quanquã nonnullæ ſocietates voluptatis cauſa conſtitui ſolent, vt eorum qui choros ducunt, & eorum qui pecunias in conuiuia cõferunt, quæ ſacrificij cauſa & conuictus fieri ſolent, quæque omnes ciuili ſubiectæ videntur. Non enim ciuilis cõſociatio eius quod in præſens prodeſt, ſed in omnẽ vitam, ſtudio ducitur. Qui autem ſacra faciunt, atque in iis conuentus, ij cùm Diis honorem tribuunt, tum ſibi ipſi ceſſationẽ ſuauem & iucundã comparant. Conſtat enim ſacra & cõuentus olim fieri ſolitos, poſteaquã fruges perceptæ erant, vt primitias, quòd id maximè tẽporis ceſſarent. Hoc igitur apparet, omnes ſocietates partes eſſe ciuilis. Societates verò cuiuſq; generis, ſui etiã generis amicitiæ cõſequuntur.*

REI *autem publicæ tria ſunt genera, totidémque ab illis defectiones quaſi earum euerſiones. Sunt autem reſpublicæ, regia poteſtas, & ea quæ eſt in poteſtate opti-* Cap. 10.

*morum, & tertia ea quæ ex censu nominata est, quam aptè censuum potestatem appellari licet: quam eandem plerique rempub. solent dicere. Harum autem omnium optima est regia: deterrima, timocratia. Defectio à regia, tyrannis dicitur: vtrique enim vnus præest, sed tamen inter eas permultum interest. Tyrannus enim suis, rex eorum quibus præest, solet commodis vtilitatique seruire. Neque enim rex habendus est is, qui se ipse non est contentus, quique copiis adiumentisque omnibus minus excellit. Qui autem eiusmodi sit, is cùm nullo egebit, tum rationem nullam ducet commodorum suorum, sed eorum qui ipsius in imperio erunt. Nã qui se eum non præstat, eum sorte delectum quendam potius, quàm regem licet dicere. At tyrãnis huic aduersaria est, siquidẽ sibi suisque rationibus consulit. Quo magis perspicuũ est, eam esse deterrimã. Quod enim rei optimæ contrarium est, idem pessimum & flagitiosissimum. Ex regali autẽ potestate in tyrannidẽ respub. delabitur. Est enim corruptela singularis principatus tyrãnis: & rex si vitiosus sit, tyrannus efficitur. Ex eo autem statu reipub. qui est in potestate optimorũ, in eum fit mutatio, in quo pauci præsunt: idque culpa & vitio principũ, qui res ciuitatis non diuidunt pro dignitate, sibiq; vel omnia vel maxima commoda sumunt, & magistratus semper ad eosdem deferunt, quòd plurimi faciant diuitias. Ita pro optimis pauci, iiqui vitiosi imperant. Quæ autem ex censu potestas nominata est, in popularem vertitur. Sunt enim hæ finitimæ, quòd & censu potestas est in multitudine, & ij æquo iure viuunt qui censi sunt. Sed quoniam popularis potestas paulùm à statu reipub. discedit, minimè vitiosa*

*est. Ac reipub. quidem status hoc ferè pacto labefactari mutarique solent, quòd ita & paulùm admodum, & facillimè mutentur. Earum autem similitudines & quasi exempla licet in familiis cernere. Nam quæ patri est cum liberis societas, regalis potestatis formã obtinet. Patri enim curæ sunt sui liberi. Hinc etiam Homerus, Iouem patrem vocauit. Debet enim regia potestas esse patriũ imperium: quod quidem in tyrannidem versum est apud Persas, qui quasi seruis vtuntur liberis suis. Est etiam domini in seruos tyrannicum imperium, quippe in quo domini commoda agantur. Atque hoc quidem ius rectum videtur, Persicum à recta via deflexit. Dispares enim disparia imperia sequuntur. Viro autem cum vxore ius id intercedit, quod non absimile est ei quod est in optimorum potestate. Nam pro dignitate vir iis in rebus imperat, quæ dignæ sunt viro: quæ autem fœminam decent, eas ei tribuit. Quòd si in omnibus præsit vir ac dominetur, in paucorum potestatem fit mutatio, quoniam contra dignitatem suam facit, non quia est præstantior. Interdum etiam mulieres præsunt, cùm amplum patrimonium consecutæ sunt. Non igitur tum imperia virtuti deferuntur, sed diuitiis & facultatibus, quemadmodum in paucorum potestate. Ac censu potestati pariter respondet, quæ fratribus inter ipsos coniunctio est. Sunt enim pares, nisi sint dispari ætate. Itaque si magna sit ætatis distantia, non iam amicitia fraterna cõstituitur. Sed in iis maximè familiis viget popularis potestas, quæ domino carent, quòd ibi omnes pares sint: & in quibus est dominus imbecillus, & licentia concessa omnibus.*

IN vnoquoque autem reipub. genere, tandiu amicitia *Cap. II.*

*manere videtur, quandiu ius & officium permanet. Regis quidem cùm iis quibus præest, amicitia, in excellentia quadam beneficij cernitur. Bene enim de suis meretur. Siquidem bonus sit, eò omnia referet, vt sint quàm beatissimi, quemadmodum pastori oues curæ esse solent. Vnde Agamemnonem Homerus pastorem populorum vocauit. Quo etiam in genere patrium est imperium, sed magnitudine beneficiorum præstat. Pater enim is est, qui quod omnium maximum est, procreauit, is qui aluit, is qui erudiuit: quæ eadem tribuuntur etiam maioribus. Natura enim præest & pater liberis, & progenitores nepotibus, & rex iis qui in eius sunt imperio. Hæ autẽ amicitiæ in excellentia quadam præstantiáque cernuntur. Itaque honos tribuitur parentibus. Nec verò eadem iis officia & iura tribuuntur, sed pro dignitate, præsertim cùm hoc etiam modo amicitia iudicetur. Eadem autem amicitia est viro cum vxore, quæ in potestate optimorum. Virtuti enim conuenienter & optimo cuique semper maxima quæque commoda, & cuique pro dignitate tribuuntur. Quæ eadem est iustitiæ ratio & sententia. At verò fratribus inter ipsos amicitia similis est sociorum amicitiæ. Sunt enim pares & æquales, cuiusmodi quidem in hominibus iidem ferè mores sunt, eadem studia, iidem affectus. Huic etiam finitima ea est, quæ viget in census potestate: pares enim ciues volunt esse ac probi, vicissimque imperare, & id æqualiter: quòd idem in amicitia valet. Sed in euersionibus rerumpublicarum, vt officia & iura minus habent loci, sic etiam amicitia: quæque est in pessima, minimum. In tyrannide enim aut nullus, aut certè perexiguus locus est amicitiæ. Nam, qui-*

*bus hominibus nulla ſocietas eſt inter ipſos, nulláque communio, principi cum eo cui præeſt, in iis nulla eſt inter eos amicitia: quando ne ius quidem, niſi fortè quale eſt artifici cum inſtrumento, & animo cum corpore, & hero cum famulo: ab his enim percipiunt vtilitates ij qui vtuntur. Et amicitia nulla eſt, nec ius vllum cum rebus inanimis, nec cum equo quidem & boue, nec cum ſeruo, quia ſeruus eſt. Nulla eſt enim ſocietas nobis cum illo, cùm præſertim ſeruus inſtrumentum ſit animatum: & inſtrumentum, ſeruus inanimus. Quia ergo ſeruus eſt, nulla eſt nobis cum eo amicitia, ſed quia homo. Sic enim nati videmur, vt inter omnes eſſet iuris ſocietas quædam, inter quos poſſit eſſe legis conuentorúmque communio. Ita etiam amicitia, quia homo eſt. In tyrannide autẽ exigua eſt amicitiæ iuríſque communio: at in populari poteſtate, maxima. Multa enim ſunt æquo iure vtentibus hominibus inter ſe communia.*

IN *ſocietate igitur ac communione, vt diximus, omnis amicitia conſiſtit. Sed hinc eam quæ inter ſanguine cõiunctos, & ſocios intèrcedit, licet excludere. Quæ autem ciuibus, tribubus, & hominibus vnà nauigantibus inter ipſos eſt amicitia, quæque ſunt eius generis, eæ ſocietatibus ſunt cõmunitatibúſque ſimiliores: quippe quæ ſtipulatione quadam conſtare videãtur. Quibus etiam hoſpitalem adſcribere licet. Gradus autem plures ſunt coniunctionis ſanguinis, qui à patria omnes profecti ſunt. Nam & parentes ex ſe natos diligunt, quòd ſint quiddam ipſorum, & nati parentes, quòd illorum pars quædam ſint. Atqui magis norunt parentes quos procrearint, quàm nati ſe ab illis procreatos: coniunctiúſque eſt, & copulatius ei quod* Cap. 12.

*procreatũ est, id omne quod ipsum generauit, quàm quod generatum est ei quod procreauit. Quicquid enim, id est quod ab alio profectum sit, ei cognatum est, vnde fluxerit, vt dens & pilus, & quiduis aliud ei qui ipsum habet. Illorum nihil ei vnde ortum est, aut certè minus, idque progressu temporis. Nam & parentibus liberi simul ac orti sunt, chari solent esse, & liberis parentes progredientibus ætatibus cùm dispicere & sentire cœperunt. Ex quibus perspicuum est, quid sit cur maior sit sensus amoris in matribus. Nam æquè parentibus vita liberorum chara est, atque sua. Nam cùm sint orti ex iis, quasi alteri iidem sunt, propter seiunctionem. Et natis quidem parentes chari sunt, quòd ab illis natura sint procreati. Fratres autem idcirco inter se diligunt, quòd ex iisdem orti sunt parentibus. Quæ enim ipsis cum illis est coniunctio ea, idem inter illos efficit. Itaque eundem sanguinem prædicant, eandémque stirpem & sobolem, cæteráque generis eiusdem. Sunt igitur in diuisis seiunctisque rebus, eædem res quodammodo. Magnum est etiam ad amicitiam momentum vnà educatos & æquales esse: quoniam & æqualis æqualem delectat, & vitæ consuetudine fiunt sodales. Quocirca sociorũ àmicitiæ, fraterna similis est. Atque etiam patrueles reliquique cognati & propinqui ob eam causam coniuncti inter se, copulatique sunt, quòd ex iisdem nati sint. Aliique eorum coniunctiores sunt, alieniores alij, quòd vel propius parentem & authorem attingant, vel ab eo absint longius. Quæ autem est & natis cum parentibus amicitia, & hominibus cum Diis, ea constituta est tanquã cum bono atque præstanti. Optimè enim*

*de nobis meriti ſunt, præſertim cùm & procrearint nos, & aluerint, & erudierint procreatos. Accedat huc ſuauitas quædam maior oportet ac vtilitas, quàm in alienorum amicitia, quò vitæ eſt inter eos arctior cõmunio. Inſunt etiã in fraterna amicitia ea omnia, quæ in ſociorũ, ac multò etiam magis in probis & omnino ſimilibus, quo coniunctiores ſunt, arctiúſque ſe inter ſe ab ineunte ætate diligunt, quóque ſunt ſimiliores moribus ij qui ab iiſdem procreati ſunt, vnà educati, eadem diſciplina eruditi & inſtituti. Huc etiam accedit comprobatio diuturna, maximum & arctiſsimum vinculum. Eiuſdem collatione rationis ea omnia ſunt in reliquis cognatis, quæ ad amicitiam pertinent. Sed inter virum & vxorem, natura peperiſſe amicitiam videtur. Eſt enim homo ad coniugium natus magis, quàm ad ciuilem ſocietatem: quo prior eſt domus magíſque neceſſaria, quàm ciuitas: & quo eſt animantibus propreatio cõmunior. Ac beſtiæ quidem hoc vnum ſpectãt & ſequuntur: homines autem non procreandi modò cauſa vnam in domum conueniunt, ſed eorum etiam parandorum, quæ ad vſum vitæ pertinent. Statim enim diſpertita ſunt officia, ſúntque alia viri, alia vxoris propria. Proſunt igitur vterque alteri ſua in commune conferentes, ob eámque cauſam ſuauitas in hac tali amicitia ineſt vtilitáſque maxima. Qui ſi probitatem ad eam attulerint, virtute conſtituta videri poteſt. Eſt enim vtriuſque virtus propria, qua ſe oblectare poſsint. Et quoniam nati liberi vinculum quoddam videntur, idcirco qui liberis carent, facilius diſſociantur. Nam & liberi commune vtriuſque bonum eſt, & quod commune eſt aliquorum,*

*omne eos coniungit & continet. Quam autem vitæ degendæ rationẽ vir & vxor vnà sequi debeant, & amici omnino, hoc quærere nihil aliud est, quàm quemadmodum iura & officia tueri debeant. Neque enim idem homini est cum amico & extero, & socio, & condiscipulo.*

Cap. 13. CVM *autem tria, vt initio dixi, genera amicitiæ sint, & in vnoquoque genere alij amici pares sint, alij impares: (nã & qui pariter sunt boni, inter se amici sunt, & præstantior deteriori est: itémque suaues & vtiles cõmoditatibus inter se conferendis, partim æquales, partim differentes,) illi quidẽ qui sunt æquales, pares esse debẽt in amore, cæterísque rebus: qui impares sunt, iis proportione præstãtiæ respondendum est. Existunt autẽ sæpe criminationes & querelæ in amicitia, quæ ad fructum refertur, vel sola, vel maximè, nec sine causa. Quoniam enim ij, qui virtutem in amicitiis conciliãdis sequuntur, propensi sunt ad bene vltro & citro merendum, quod virtutis & amicitiæ est proprium, eóque certatim properant: in iis nec criminationes incidunt, nec pugnæ. Neque enim eo quisquam offenditur, cui charus sit, quique de se bene mereatur: quinetiam si gratus est, ei refert gratiam. Et qui cum fœnore consecutus est quod volebat, is nunquam de amico conqueretur, cùm vterque boni cupiditate ducatur. Ne in iis quidem ferè quæ suauitatis causa comparantur, incidunt. Si enim vita victúsque cõmunis eos delectat, iam vtrique quod volunt, aderit. Et ridiculus sanè videatur, si quis eum accuset, cuius cõsuetudine minus delectetur, cùm liceat ab eius abesse consuetudine. At verò plenæ sunt obiurgationum, plenæ querelarum & criminationum, eæ omnes quæ fructibus*

*emolumentiſque diriguntur. Nam qui ſpe mercedis, vſu, & conſuetudine implicati ſunt, ſemper maiora deſiderant: ſéque minora habere putant, quàm digni ſint, queruntúrque non tantas ſe opes, quantas requirerent, eſſe cõſecutos, cùm digni ſint. Qui autem benignè faciunt, non poſſunt tantis iuuare copiis, quantis illi indigent, qui accipiunt. Sed videtur, vt ius duplex eſt, alterum non ſcriptũ, alterum ſcriptum ex lege: ſic emolumentum quod ex rebus vtilibus capitur, alterum à more, alterum à lege proficiſci. Oriuntur ergo querelæ tum maximè, cùm eam vtilitatem non percipiunt, propter quam rem contraxerant & tranſegerant. Ac ea quidem vtilitas quæ lege introducta eſt, certa obligatione conſtat, quæ partim ſordida eſt, cùm de manu in manum res traditur: partim ad tempus liberalior & honeſtior, ſed pactione adhibita quid pro quo reddendum ſit. Certum in hac eſt quid debeatur, non dubium, ſed moram & cunctationem benignam & amicam habet. Itaque de iis apud quoſdam nulla ſunt iudicia, ſed ſibi charos eſſe putant oportere eos, qui ex fide rem cum ipſis contraxerint. At verò quæ moribus comparata eſt, certa obligatione non conſtat, ſed tanquam amico dant beneficium, aut alij qualiſcunque ſit. Par autem aut plus eo exigit, quaſi non dederit, ſed fœneratus ſit beneficium, ſi tum vt contraxerat, ita illi non ſoluatur obligatio, exiſtit criminatio. Hoc ita fit propterea, quòd omnes vel certè complures honeſtarum rerum ſtudio illi quidem trahuntur, ſed tamen vtilitatem, & fructum ſequuntur: porrò autem pulchrum eſt benefacere, non vt gratiam exigas: beneficius autem affici vtile & fructuo-*

*ſum. Referenda eſt quidem par gratia ſi modò poſsis, idque vltro: Neque enim amicus quicquam inuitus facere debet, quaſi iam inde ab initio peccarit, acceperitque ab eo beneficium, vnde minus debuit. Non enim ab amico, neque ab eo, qui ob hanc cauſam contulerit. Perinde igitur ac ſi certa eſſet ciuiliſque obligatio, eum par eſt qui beneficium accepit reddere, atque polliceri, ſi modò poſsit, ſe gratiam eſſe relaturum. Nam ſi minus poſsit, ne is quidem qui dedit, repoſcat. Ergo ſi poſsis, reddendum beneficium eſt. Atque etiam in primis quis beneficia dederit, & qua de cauſa, ponderandum eſt: vt etiam his de cauſis expectet ille, aut minus expectet. Sed hoc habet dubitationem, vtrum referendæ gratiæ officium eius, qui accepit emolumento, & fructu ponderandum ſit, an eius qui dedit beneficio. Nam cùm beneficiis afficiuntur homines, extenuantes eiuſmodi ſe à beneficis accepiſſe prædicant, quæ & illis exigua erant, & ab aliis accipere licebat. Illi contrà, quæ & maxima deferre potuerint, & quæ ab aliis non potuiſſent accipere: idque rebus eorum aſperis, aut vrgentibus alioqui negotiis. Vtrum igitur ſi amicitiam quidem vtilitas conſtituat, fructus quem ex beneficio tulit, is cui delatum eſt, menſura ſit? Hic enim indigebat, ei opitulatur alter, parem aliquando gratiam accepturus. Quoniam igitur tanto fuit præſidio, quanta in altero ſecuta eſt vtilitas, tantum etiam reddendum eſt quantum acceperit, aut plus eo etiam, quoniam hoc multo eſt præclarius. In amicitiis autem quas virtus contrahit, quoniam nullæ obiurgationes exiſtunt, officium æſtimandum eſt ex eius qui cõtulit animo & volũtate. Virtutis enim & morũ*

*laus omnis in animi iudicio & voluntate consistit.*

ATQVE *etiam in iis amicitiis, in quibus excellentiæ quædam sunt, querelæ incidunt. Nam cùm vterque plus sibi tribui æquum censeat: hoc si fiat, amicitia dissoluitur. Qui nanque melior est, is sibi maiora deberi existimat, quòd plus probo tribuendum sit. Eadem est eius qui maiorem vtilitatem affert, ratio & sententia. Eum enim qui ad nullam partem sit vtilis, paria emolumenta consequi negant oportere. Famulatum enim non amicitiam esse, nisi pro dignitate officiorum ea constabunt, quæ sunt amicitiæ propria. Putant enim vt in societate pecuniarum, sic in amicitia, plus accipere oportere eum, qui plus contulerit. Ac inops & deterior, contrá. Amici enim veri & perfecti esse, subuenire egentibus. Quis enim fructus (inquiunt) quæ vtilitas manet eum, qui probo aut potenti sit amicus, siquidem nihil sit consecuturus? Ac rectè quidem vterque reposcere & exigere videtur: plúsque tribuendum vtrique est ex iis rebus quæ vigent in amicitia, non idem quidem: sed superiori plus honoris, inopi plus emolumenti. Virtutis enim & beneficentiæ merces est gloria: inopiæ & indigentiæ præsidium, quæstus. Quæ etiam in rebus publicis similitudo perspicitur. Nec enim honos ei tribuitur, qui nihil confert in Rempublicam studij, nihil operum, nihil facultatum. Quod enim commune est & publicum, datur ei qui Reipublicæ consulit. Atqui honos communis est, communis gloria. Non enim fieri potest, vt quis simul & à Republica locupletetur, & gloriam consequatur. Quoniam enim nemo potest, vt omni ex parte iacturam faciat, sustinere: qui rei nummariæ* Cap. 14.

*iacturam fecerit, ei honorem tribuunt: qui muneribus non corrumpitur, pecunias. Quod enim cuique tribuitur pro dignitate, id exæquat, vt dixi, tuetúrque amicitiam. Sic ergo iis agendum est, qui non sunt pares. Et cui vel ad opes adiumentum allatum est, vel ad virtutem, is honorem debet reddere: vicissímque id reddendum quod quisque possit. Exigit enim & postulat amicitia, nõ quod cuique debetur, sed quid quisq; efficere potest. Neque enim id possit fieri in omnibus, quod in iis contingit honoribus, qui Diis debentur & parentibus. Nam & nemo est qui parẽ iis gratiam referre possit: & tamen qui eos quocunque officio, & obseruatione potest, colit, is vir pius habetur. Itaque filio non videtur concessum, vt patrem exhæredet, patri licet liberos. Par est enim filium, qui obligatus est, beneficia reddere: qui si omnia efficiat, nullam tamen partem videatur illius meritorum assecutus. Ita semper illius beneficiis obligatus est. Quibus autem quispiam debet, eum quoniam illi præterire & absoluere possunt, & patri licebit. Sed nemo est ferè qui filium velit vnquam exhæredare, nisi qui insigni quadam improbitate sit præditus. Nam præter naturalem amicitiam communis etiam humanitas impellit, vt ne omni præsidio desertum eum esse patiamur. Qui si facinorosus sit, cauendum est, aut non laborandum certè, vt opitulemur: plerique enim in beneficiis affici volunt, ipsi conferre vt rem inutilem, nolunt. Ac de iis quidem hactenus.*

# ARISTOTELIS
## ETHICORVM LIB. IX.

IN omnibus autem amicitiis quæ non ſunt eiuſdem generis, cõparatio & proportio, vt dictũ eſt, & exæquat amicitias, & conſeruat. Quod in ciuili ſocietate contingit, cùm in ſutorem pro calceis, & in textorem cæteróſque omnes extat remuneratio pro dignitate. Atque huc quidem numus cõparatus eſt, quaſi rerum omnium menſura communis, vt ad eum referantur, ex eóque ponderentur omnia. Sed in amoribus interdum amator queritur, ſibi in amore parem non eſſe eum, quem vehementer amet, cùm in eo nihil fortaſſe dignum ſit amicitia. Sæpe etiam amaſius queritur de amatore, quòd cùm prius promiſerit omnia, tamen nihil eorum quæ promiſit, exoluit omnino. Quod tum euenire ſolet maximè, cùm ille libidinis cauſa amaſium colit, hic vtilitatis gratia amatorem, nec vtrique illa adſunt. Quoniam enim amicitia his de cauſis conſtituta erat, diſſociatio & diſtractio ſequitur, cùm minus extant ea à quibus cauſæ profectæ erant diligendi. Neque enim ſe inter ſe diligebant, ſed quæ aderant & ſuppetebant: quæ quoniam infirma ſunt nec ſtabilia, etiam amicitiæ ſunt eiuſmodi. At verò amicitia, quam morum ſimilitudo bonorum conglutinauit, quoniã propter ſe eſt, permanet, vt dixi. Sed amici diſſident inter ſe, tum cùm alia

Cap. I.

*atque optabant, eis obueniunt. Nam perinde est ac si nihil fieret omnino, cùm non quod volunt, consequuntur. Quod citharœdo cuidam contigit: cui cùm quispiã pollicitus esset, quò melius caneret, eò se maiorem mercedem esse daturum, ísque postridie exigeret mercedem: eum respondit cum voluptate compensasse voluptatem. Ac si hoc quidem vterque volebat, satis habuit: sin hic voluptatẽ quam ceperit, petebat: ille quæstum aucupabatur, quo caruit: non rectè, neque præclarè ad societatem accidit. Quo enim quisque eget, ad id etiam attentus est, quod vt assequatur, nihil est non daturus. Vtrum autem precium rei eius sit præscribere qui dat, an qui accipit, quæstio est. Qui enim dat, videtur illi permittere. Quod aiunt Protagoram facere solitum: qui cùm docuisset quidlibet, iubebat eum æstimare qui didicisset, quanti videretur, scientiam, & tatundem ferebat. In quibusdam eius generis satis est,*

„ *Merces digna viro.*

*Qui verò primùm argentum acceperũt, deinde nihil præstant eorum, quæ profeßi sunt, propter promissorũ magnitudinem, iure sunt illi quidem vituperandi. Neque enim exoluunt, quod promiserũt. Quod certè coguntur Sophistæ facere: quòd nemo alioqui esset, qui pro iis quæ illi sciũt, vellet argentũ dare. Ac isti quidem quoniam non perficiunt in quæ mercedem acceperunt, iure reprehenduntur. Inter quos autem nullum pactum mercedis interuenit, ij quoniã vltro dant, omni, vt dixi, reprehensione carent. Hanc enim talem amicitiam virtus contraxit, in qua ex animo & voluntate ponderanda remuneratio est. Ea enim est amici & virtutis propria. Similis etiam eorũ est ratio, inter quos*

*philoſophiæ eſt ſocietas & communio: Neque enim aut rei tantæ dignitas pecuniis æſtimatur, aut vllus bonos tãti momenti & ponderis poteſt exiſtere. Sed fortaſsis, vt erga Deos & parentes, ſic hîc ſatis ſit præſtare quod quiſque efficere poſsit. Si verò non fuerit talis largitio, ſed vt omnino aliquid inde viciſsim auferatur, eam maximè remunerationẽ eſſe oportet, quæ ex vtriuſq; dignitate videatur. Quòd ſi ita non fiat, non ſolùm neceſſe eſt, verùm etiam æquum, eum qui rem tradat, precium præſcribere. Etenim ſi quantam hic vtilitatem, quantúmque frúctum ceperit, aut quanti fecerit voluptatem quam habuit, tantum ille viciſsim conſequatur, ab hoc precium obtinebit. Nam in rebus venalibus hoc cernere licet. Et nonnullis in locis leges ſunt quæ ex pactis voluntariis actionem naſci vetant, quòd eum deceat, cui habita ſit fides, ita liberari obligatione, ſicuti cum eo ſocietas & ratio contracta eſt. Cui enim res tradita ſit atque permiſſa, eum iuſtius, quàm qui permiſerit, putant conſtituere poſſe. Nam permultas res non tantidem qui habent, & ij qui ſibi dari volunt, æſtimant. Sua enim cuique & quæ quiſque dat, magni precij videntur: attamen compenſatio tanta ſequi debet, quantum ij qui acceperint, præſcripſerint. Nec fortè eſt tanti res æſtimanda, quanti is qui tenet, æſtimat: ſed quanti antequam occuparet, æſtimabat.*

HÆC *quoque dubitationem afferunt, vtrum patri omnia tribuenda ſint officia, eique parendum ſit in omnibus: & vtrum ægrotus, medico debeat credere: imperator autem deligendus ſit is, qui laude rei bellicæ valeat plurimúm. Itémque amicóne potius, an bono viro ſubueniendum ſit.* Cap. 2.

*Et vtrũ ei qui de nobis bene meritus est, referenda sit potius gratia, quàm dandum beneficiũ alteri, si vtrunque non possis. Ac horũ quidẽ omniũ nõ est facilis explicatio, præsertim cùm magnæ in iis dissimilitudines ac differẽtiæ versentur, & magnitudinis, & exiguitatis, & honestatis, & necessitatis. Hoc tamen nõ est obscurũ, non esse eidem officia tribuenda omnia. Potius enim referenda ferè est cui debeas, quàm ineunda ab altero amico gratia: sicuti mutuum etiam reddendum est potius cui debetur, quàm sodali dandum beneficium. Quanquã hoc fortasse non semper sit seruandum. Vt si quis redemptus sit à prædonibus, vtrum eum qui se liberarit vicissim redimere debeat, qualiscunque sit: aut si captus ille quidem non sit, repetat autẽ aliquid, vtrum ei potius referenda sit gratia, an verò redimendus pater? Nam suus cuique pater potius sit redimendus. Ergo, vt dixi, omnino debitum officium reddendũ potius est. Quòd si dandi ratio honesti necessitatisque ratione vincat, est ad hæc ipsa declinandum. Incidunt enim huiusmodi tempora, cùm beneficium quo prouocati sumus, reddendum non est, vt si virum bonum esse sciret in quem beneficium sit collaturus, improbum contrà eum cui sit referendum beneficium. Neque enim semper ei commodandum est vicissim, qui commodarit. Nam & hic spem habens recipiendi quod commodat, bono viro cõmodauit, & ille non recepturum se ab improbo sperat. Ergo siue ita est re vera, non est par dignitas seu non estita, sed putant, nunquam absurdum quicquam facere videbũtur. Vt ergo sæpe dixi, quæ de perturbationibus, actionibus & officiis habetur oratio, eodem se modo habet, quod quidem attinet*

*ad definiendum de iis aliquid ac pro certo constituendum, quo eæ res in quibus versantur. Atque illud quidẽ perspicuum est, non eadem omnibus officia tribuẽda esse, nec patri quidem omnia, quemadmodum Ioui nõ fiunt sacra omnia. Quoniam autem alia parentibus, alia fratribus, alia sodalibus, alia beneficis tribuẽda sunt: suum cuique ac proprium, quódque deceat, tribuẽdum est. Quod etiam facere videntur . nam inuitant cognatos ad nuptias : quibus quoniam genus commune est, idcirco quæ genus attinent, sunt illis inter ipsos officia communia. Ob eámque causam cognatis & propinquis maximè incumbit quæ onera sunt in procurandis suorum rebus ferre. Sed necessaria præsidia vitæ parentibus maximè debentur, quibus rebus procuratores iuuare pulchrius est quàm seipsum. Atque etiam vt Diis, sic suus bonos tribuendus est parentibus : non omnis quidem (neque enim patri & matri idem tribuendus est, nec idem sapienti & imperatori) sed patri is qui patrem, matri qui matrem deceat. Omni etiam seni bonos tribuendus est is, qui ætatem illam decet, assurgendo, decedendo de via, aliísque generis eiusdem. Cum sodalibus & fratribus, libertas, & rerum omnium communitas vigere debet. Cognatis etiam atque tribulibus, ciuibus item reliquisque omnibus semper enitendum est, vt suus cuique tribuatur: & quæ in quoque insunt, ea ex illa quæ nobis cum illis erit familiaritate, ex virtute & vsu erunt iudicanda. Ac in iis quidem quæ sunt eiusdem generis, facilius iudicium est: quæ autem sunt alterius, difficilius . Non tamen ob eam quidem causam desistendum est, quinetiam quoad fieri poterit, explicanda sunt omnia.*

Cap. 3. DE *dimittendis autem amicitiis hoc quæri ſolet, vtrum diſcedendum ſit ab amicis qui non ſunt conſtantes, neque ſtabiles. Ac ab iis quidem qui amicitias vtilitatibus & ſuauitate dirigũt, cùm hæc quidẽ non aſſequuntur, nõ eſt alienum diſcedere. Hæc enim amabant ipſa, quibus ſublatis, illud cõſentaneum eſt, vt etiam amicitia tollatur. Querela autem orietur, ſi quis vtilitatem & ſuauitatem quærẽs diligat, ſeque in amicitia virtutem ſimulet ſecutum. Nam vt initio dixi, multa amicorũ diſſidia fiunt, cùm nõ æquè ac putarent, ſunt amici. Ac tum quidem, cùm quiſpiam falſus eſt opinione, quòd alterum putaret ductum virtute ſe diligere, cùm nihil alius tale præ ſe ferret, ſe ipſe accuſare debet. Sin autem ab illius ſimulatione falſus eſt, par eſt accuſari eum, qui fraude egerit, vel multo etiam magis, quàm eos qui numos adulterant, quo in re præſtãtiore calliditas cõſumitur. Sed ſi tanquam probum virũ receperit aliquis, malus autem factus eſt, aut etiam videtur, etiámne diligẽdus ſit, quæritur: an hoc fieri nullo pacto poteſt? Siquidẽ non ſunt amore digna omnia, ſed bona ſola. Et improbus diligẽdus eſt nullus, neque æquum ſit. Non enim vel amare improbos quiſquam debet, vel par eſſe ac ſimilis malorũ. Atqui pares, vt dixi, cũ paribus inſtituunt amicitiam. Sed vtrũ repentè præcidendæ ſint amicitiæ, an non cũ omnibus, ſed cum iis quorũ vitiis remediũ nullũ inueniri poteſt? Iis autẽ qui ſanari poſſunt, eò magis quoddã adiumentum afferendum eſt ad mores, quàm ad opes, quo melius eſt & amicitiæ magis proprium. Quanquam alienum nihil qui diſceſſerit facere videtur, quippe cùm non huic, aut certè tali foret amicus. Quoniam igitur ad me-*

*liorem mentem reuocari nõ potest, ab eius se remouet amicitia. Sin hic permanet sui similis, ille autem melior est factus, præstátque virtute, vtrum eo amico vti debet, an id fieri nõ possit? Hoc enim perspicuũ est maximè in magna distantia, vt in iis amicitiis quæ ab ineunte ætate contractæ sunt. Etenim si ille in puerili animo & sententia permaneat, hic autem vir sit optimus, quî fieri potest, vt inter se diligant, cùm nec moueantur iisdem rebus, nec offendãtur? Neque enim paria in se mutuò conferent officia, sine quibus amici esse nullo modo possunt: quandoquidem vita victúsque communis non potest inter eos intercedere. Sed de his iam diximus. Vtrum verò nihilo erga eum alieniore animo esse debet, quàm si nunquam amicitia intercessisset: an prioris cõsuetudinis valere debet recordatio? Vt enim amicis potius gratificari putamus oportere, quàm exteris: sic veteri amicitiæ aliquid tribuendũ est, nisi propter singularem quandam improbitatem facta sit distractio.*

EA *autem, quæ ab amicis in amicos proficiscuntur officia, quibúsque amicitiæ fines, & termini constituti sunt, ab iis profecta vidẽtur, quæ sibi quemque præstare cõspicimus. Ponunt enim amicum eum, qui velit seruire, ac seruiat commodis amici, aut quæ videantur, illius causa: aut qui velit saluũ & incolumẽ amicũ, eúmque manere in vita, ipsius causa. Quo sunt animo matres in liberos, iíque amici qui veluti impulsi ad amandũ feruntur. Alij amicum eum statuunt, qui vita victúque communi cum amico coniunctus est, quíque eadem studia sequatur: aut eum qui & rebus aduersis amici doleat, & gaudeat secundis. Quod idem in matribus contingit maximè: eorum verò* Cap. 4.

*etiam aliquo amicitiam definire ſolent. Atqui hæc quidem omnia virum bonum ſibiipſi optare ac præſtare cernimus: cæteros autem, quia bonos ſe exiſtimãt. Eſt enim & virtus & vir bonus, menſura, vt dixi, rerum omniũ. Nam & ſibi ipſe conſtat, & iiſdem rebus totus eius animus mouetur. Eſt igitur is qui ſe iis quæ verè bona ſunt, aut videantur, velit affici, quæ eadem in ſe ipſe præſtat. Eſt enim boni viri quod bonum ſit gerere, atque ſuam ob cauſam: ſiquidem mentis gratia, quæ id ipſum eſt quod quiſque maximè eſſe videtur. Atque etiam manere vult in vita, ac ſaluus eſſe: eámque maximè partem vult ſibi incolumem, quæ valet prudentia. Bono enim viro eſſe bonum eſt. Et ſe quiſque bonis vult affici. Quòd ſi alij fierent ſemper omnes atque ſunt, nemo eſſet homo qui ſibi omnino optaret illud quod ita ſemper fieret, nunquam eſſet. Eſt enim etiam in Deo bonum hoc tempore, ſed quod idem ipſum eſt, quod ſemper eſt. Ac mens ſua quiſque eſt, vel maximé. Cúmque ſit eiuſmodi, ſecum ipſe vult viuere, idque facit libenter. Vt enim lætamur iis bonis quæ recordamur, ſic iis erigimur quæ expectamus: habent enim hæc oblectationem. Atque etiam eius mens abundat perceptorum copia. Et quoniam iiſdem rebus ſemper oblectatur & offenditur, & nõ aliis aliàs, fit vt doleat gaudeátque rebus ſuis vnà ſecum maximé. Is enim eſt quem nullius omnino rei poſsit pœnitere. Ergo quia hæc omnia viri boni in ſeipſum pietatis officia ſunt, in amicum autem nõ alio animo eſt, quàm in ſeipſum: (eſt enim amicus tãquam alter idem) hinc fit vt in eorum videatur aliquo amicitia conſiſtere: & in quibus eadem illa inſunt, ij amici nomi-*

*nentur. Vtrum autem ſecum cuique ſit amicitia, nécne ſit, omittamus hoc quidem tempore quærere. Verùm ea ex parte putandum eſt amicitiam conſtare, qua eorum quæ dixi, aut duo adſunt, aut etiã plura, vel ex eo quòd maxima amicitia videtur ei ſimilis, quæ ſecũ cuique eſt. At enim videntur quæ dicta ſunt, adeſſe permultis etiam improbis. Num ergo eorum participes ſunt, quia ſibi placent ipſi, ſeque bonos putant? Hæc enim omnia eorum inſunt nemini, qui admodũ nefarij ſunt & improbi, nec videntur quidẽ, nec ferè vlli malorũ. A ſe enim diſſident ipſi, ſecúmque diſcordant, & alia volunt, alia ſequuntur ritu impotentum. Quæ enim ſibi ipſi bona eſſe ſtatuerunt, ea iis quæ iucunda ſunt, cum ſuo etiam damno coniũcta anteponunt. Alij rurſus propter timiditatem & ignauiam ab iis rebus gerendis recedunt, quas ſibi ipſi optimas eſſe decernunt. Qui verò multa & grauia ſcelera admiſerunt, improbitate victi, & ſe oderunt ipſi, & vitam fugiunt, mortémque ſibi ipſi conſciſcunt. Improbi etiam alios quibus cum verſentur, requirunt, ſe fugiunt ipſi. Multa enim & grauia facinora recordantur, & alia eiuſdem generis, cùm ſoli ſunt, expectant: cùm ſunt cum aliis, obliuione obruunt. Et quoniam in iis nulla eſt cauſa cur diligantur, nulla eſt etiam in eis ratio diligẽdi ſui. Nec igitur ipſi ſecum vnà lætari poſſunt, nec dolere. Eorum enim animus à ſe ipſe diſſidet, ſecúmque diſcordat, aliáſque propter improbitatem, ſe dolet à quibuſdam rebus abſtinuiſſe, aliàs gaudet: atque pars altera huc trahit, & illuc altera, vt ſolent partes diſſoluti corporis. Qui ſi & dolere ſimul nõ poſſit & lætari, at paulò pòſt certè & moleſtè fert ex re-*

*bus aliquibus voluptatẽ cepisse, & sibi eas vellet non fuisse voluptati. Est enim vita malorum plena pœnitentiæ. Non igitur in se amicè animati sunt improbi, quòd in eis dignũ nihil sit amicitia. Quòd si ita affectum esse animo valde miserum est, fugienda improbitas est animi magna contẽtione, dandáque opera, vt boni simus. Sic enim & in nos ipsi amico animo affecti, & aliis sumus amici futuri.*

Cap. 5. BENEVOLENTIA *autem quanquam videtur, tamẽ non est idem quod amicitia. Nã beneuolentia etiam cum iis coniuncti sumus, quos ignoramus, eadémque occulta esse potest, amicitia secus: quod etiam suprà attigimus. Nec amor quidem est, præsertim cùm nec sit desiderij, nec cupiditatis particeps, quæ amorẽ consequuntur. Propterea consuetudine amor suscipitur, beneuolentia etiam citò, quod in certantibus contingit. Alij enim in alios beneuoli sunt, & in eis est eadem voluntas, cùm interim nullis officiis nullísque actionibus iuuent. Nam & repentè, vt dixi, beneuolentia coniungũtur, & leuiter diligunt. Est igitur amicitiæ principium & fons, beneuolentia, quemadmodum amatoriarum leuitatum est ea voluptas, quæ ex sensu oculorum aspectúque capitur. Etenim nemo quenquam insanè amat, quem non viderit. Et quem forma delectat, non continuò amore capitur, sed tum denique cùm & absentis desiderio tenetur, & præsentem concupiscit. Sic inter nullos amicitia esse potest, nisi antè coniuncti sint beneuolentia. At qui beneuolentia coniuncti sunt cũ quopiam, non ij continuò etiam diligunt. Eos enim duntaxat volunt bonis affici, quibuscum sunt beneuolentia coniuncti: nec vllis officiis tamen iuuare adhuc vellent, nec vllam*

*propter eos ſuſcipere moleſtiam. Quocirca eam tranſlato nomine otioſam amicitiam licet dicere, quam tempore cõfirmatam cùm auxit conſuetudo, tum amicitia naſcitur, non quæ vtilitatis aut ſuauitatis cauſa fingitur: quandoquidem eorum cauſa nemo cum alio beneuolentia coniungitur. Nam qui beneficia accipit, ſi eum qui contulit, beneuolentia complectatur, is quod iure debet facit. At verò qui beneficia ponere vult apud quempiam, ſpe præſidij & auxilij adductus, non illi beneuolus, ſed ſibi potius videtur: ſicuti nec is amicus habendus, qui vtilitatis cauſa colit & obſeruat quempiam. Omnino autem virtus & probitas beneuolentiam contrahit, ſi qua ſignificatio honeſtatis, fortitudinis, aut alicuius eiuſdem generis eluceat. Quod etiam in certantibus fieri ſolere diximus.*

ATQVE *etiam concordia ad amicitiam pertinere vi-* Cap. 6.
*detur. Itaque non eſt idem quod conſenſus, quandoquidem in iis etiam quorũ alter alteri ignotus ſit, hic ineſſe poteſt. Nec concordes aiunt eos qui de quauis re idem ſentiũt, vt eos qui de rebus cæleſtibus: quippe cùm idem, & vnũ de iis rebus ſentire, non pertineat ad amicitiam. Sed ciuitates in concordia eſſe tum dicuntur, cùm de commodis & vtilitatibus, vnum idémque ſentiunt & ſequuntur, quódque publicè placuerit, exequuntur. Ergo in gerendis rebus iis quæ graues ac magnæ ſunt, quæque adeſſe poſſunt, vel vtriſque, vel omnibus, concordia conſiſtit. Veluti ciuitates concordes ſunt, cùm placet omnibus magiſtratus delectu creari, aut ineundam cum Lacedæmoniis ſocietatem, aut Pittacũ imperatorem eſſe, ſi etiam ipſe velit. At verò cùm ſeipſum vterque, vt eſt in Phœniſſis,*

*voluerit deligi, tum seditio nascitur. Nõ enim vnũ idémque cogitare duos, quale idcunque sit, concordare est, sed idem de eadem re. Vt cùm populus & optimates optimos volunt præesse reipublicæ: sic enim omnes quod volunt, cõsequuntur. Ciuiúmque inter ipsos amicitia, cõcordia videtur, vt etiam celebratur. Est enim illa in cõmodis & vtilitatibus, iisque adeò quæ ad vitæ vsum pertinẽt: qualis bonis inter bonos concordia est. Ii enim per eam quam semper retinent cõstantiam, vnum idémque & ipsi secum, & cum aliis sentiunt: præsertim cùm eorum stent sententiæ, & voluntates non more Euripi resluant. Recta etiam & vtilia sibi proponunt, quorum communiter cupiditate ducuntur. At verò improbi, nisi ad breue & exiguum tempus concordes esse non possunt: sicuti etiam amici esse solent, cùm in emolumẽtis se velint semper potiores: iis autẽ in rebus, quæ laborem sumptúsque desiderant, ab officio deficiant. Quæ quoniam sibi quisque exoptat, proximum quemque obseruat & arcet: & facilè perit quod erat commune, cùm nemo tueatur. Ex quo nascuntur seditiones, dum alteri alteris necessitatem afferunt, ipsi fungi officio nolunt.*

Cap. 7. BENEFICI *autem vehemẽtius eos diligere videntur, in quos beneficia contulerunt, quàm ij qui acceperũt, eos qui dederunt. Quod sanè quasi præter rationem ita fiat, dignum videtur de quo quæratur. Ac compluribus hoc ita videtur, propterea quòd illi debent, his debetur. Vt igitur in commodato periisse expetunt debitores, eos quorum æs contraxerunt, salus autem debitorum curæ est creditoribus: sic ij qui bene meriti sunt, eos saluos volunt in quos liberales fuerunt, quòd gratiam beneficiúmque sint*

*accepturi: illis curæ non est remuneratio. Et Epicharmus quidem fortè hoc dicat, ad improbitatem eorum spectare orationem: quæ tamen humana est. Sũt enim plerique immemores beneficij, propensioréque sunt ad accipiendum quàm ad bene merendum. Sed causa à natura potius profecta videtur, quæ nihil simile habeat ei rei, quæ adfertur de creditore. Non enim in illis amor inest, sed volũt saluos illos, vt suum recipiant. At ij qui bene meriti sunt, eos diligunt & charos habent, apud quos beneficia collocarunt, etiam si in præsens nihil ex iis emolumenti percipiant, nec sint percepturi in posterũ. Quod etiã in artificibus cõtingit. Omnibus enim sua cuique chariora sunt opera, quàm suis quisque operibus, si fierẽt animata. Sed nescio quo pacto hoc in poëtis magis cernitur, quos sua opera præter modum delectant, ea vt liberorum loco diligant. Huic est similis causa beneficiorum. Nam qui beneficium accepit, opus eorum est, quod eis charius est, quàm operi procreator & auctor. Hoc autem causæ est, quòd cùm nobis esse optabile sit & charum, simúsque ipso quodam actu, (nam viuendo & agendo) fit, vt qui fecit opus actu, hoc ipso sit quodam modo. Ergo opus diligit, quia esse diligit. Atque hoc à natura ductũ est. Quod enim esse potest, id opus re ipsa & actu exhibet & ostendit. Atque etiam ei qui beneficium contulit, pulchrum honestúmque est id quod egit: vnde fit, vt id etiam in quo ipsum inest, delectet. At is qui beneficiũ accepit, nihil rei præclaræ in eo qui dedit habet, sed fructum & emolumentum, quod insuauius est, minúsque amabile, quàm quod honestum est. Habet autem eius quod præsens est, actio, & rei futuræ expectatio, &*

*præteritorum recordatio, oblectationem. Sed ipsa vigens actio, id est sanè quod est iucundissimũ, itémque maximè amabile. Ac ei quidem qui bene meritus est, sui operis permanet stabilis, certáque possessio. Est enim firmũ, constans, & stabile id quod honestum est. Qui verò accepit, ei vtilitas perit facilè, & decidit. Et honestorũ recordatio iucũdissima est, vtilitatum non ferè, aut minus certé. Contráque est in expectatione. Amor etiã actioni similis est, amari perpessioni. Qui autem in actione sunt occupati, eos necesse est diligere, eáque sequi omnia, quæ ad amorem pertinent. Iam verò ea sunt chariora omnibus, quæ labore parta sunt: vt etiam pecuniæ iis chariores sunt qui quæsierunt, quàm qui acceperunt. Atqui accipere beneficiũ, nullius negotij est: dare, arduum ac difficile. Ob eámque causam liberi chariores sunt matribus, quòd partus difficilior sit, maiorísque laboris indigeat, & quòd suos esse sciant certius. Quod idem beneficis proprium videtur.*

Cap. 8.

SED *vtrum se quisque maximè diligere debet, an aliũ aliquẽ, quæstio est. Culpãtur enim qui se maximè diligũt, eósque* φιλαύτους, *hoc est, sui diligentes probri loco appellãt. Ac mali quidem videntur quæ faciunt, suam ob causam facere omnia: atque eo magis quò sunt sceleratiores: idque illis vitio datur, quòd sibi tantùm consulant. Boni autem ob honestatem, eóque magis honesti atque amici causa, quò meliores sunt, vt suas res rationésque prætermittant. A qua oratione facta dissentiunt, nec sine causa. Aiunt enim diligendum eum maximè, qui sit maximè amicus. Amicus autem maximus is est, qui velit bonis affici, quàm maximis eum quem diligat, illius causa, etiam si ad se ex*

*his nihil redeat. Hæc verò ſibi quiſque exoptat maximè, cæteráq; omnia quibus amicus definitur. Docuimus enim amicitiæ officia à ſui ipſius charitate ad alios peruenire. Atque etiã eodem pertinẽt prouerbia: Vnus animus: Amicorum omnia communia: Amicitia, æqualitas: Tibia genu propius. Quæ omnia officiis in ſeipſum, & charitate maximè conſtare cernũtur. Sibi enim quiſque charus eſt maximé. Se ergo quiſque maximè diligere debet. Iure autẽ hoc venit in dubiũ, vtris tandem rationibus aſſentiendũ ſit, cũ præſertim vtræque ſint probabiles. Conſtituendi ergo ſunt in eiuſmodi rationibus fines, & quaſi termini veritatis, vt quatenus, & quomodo veræ ſint adhibita diſtinctione, intelligatur. Quòd ſi quẽ vtræque rationes* φίλαυτον, *id eſt, ſibi charũ conſtituant, intelligamus, fortaſſe id planum fiet. Qui ergo hoc ipſum vitio vertunt* φιλαύτους, *id eſt, diligẽtes ſui appellãt eos, qui penitus ſuas cogitationes & ſtudia in pecunias, honores, corporis voluptates, ita collocãt, vt horũ meliorem ſemper partem à ſe velint eſſe: plerique enim hæc ita expetũt, iiſq; ſtudẽt, quaſi in eis ſit ſummũ bonũ. Itaque de iis digladiari ſolent. Qui ergo iſtis rebus totos ità ſe dediderunt, ij cupiditatibus, animi perturbationibus, eíque parti quæ eſt expers rationis, omnino obſequuntur, cuiuſmodi ſunt* οἱ πολλοὶ. *i. plerique. Itaque appellatio ipſa ducta eſt* ἀπὸ τοῦ πολλοῦ. *i. à multitudine, quæ ipſa vitioſa & deprauata eſt. Iure igitur, vt probrum obiicitur iis qui ita ſe ipſi diligũt. Nec dubiũ eſt, quin eos qui hæc talia ſibi illo modo tribuũt, pleriq;* φιλαύτους. *i. ſui diligentes ſoliti ſint dicere. Si quis enim vnus ex omnibus maximã operam eò conferat, vt iuſtè & modeſtè facta ſequatur, aut quæuis alia, quæ*

*virtutibus congruant, ísque omnino sibi semper honestatẽ vendicarit, hunc nemo sui diligentem dixerit, hunc nemo reprehendat. Atqui hic potius vir* φίλαυτος, *id est, sibi charus esse videatur. Nam & pulcherrima quæque ac optima sibi assumit, & parti ei sui, in qua inest principatus, obsequitur, parétque in omnibus. Vt autẽ ciuitas omnísque alius conuentus, sic homo id esse maximè videtur, quod principatum obtinet: sibi ergo charus est maximè, qui hoc ipsum diligit, ab eóque init gratiam. Atque etiã ex eo cõtinens & impotens nominatur, quòd mens in eo vincat, vel non vincat, quasi in ea omnis nostra vis sita sit, ipsíque ea sponte nostra videmur gessisse maximè, quæ ratione duce gessimus. Illud igitur minimè dubium est, sinã quenque nostrûm mẽtem esse maximè, eámque à bono viro maximè diligi. Quapropter idem* φίλαὐτος, *id est, sibi charus est maximè, sed alio genere, quàm quod vitio datur: à quo tantum abest & distat, quantum vita rationi consentanea ei præstat, quæ voluptati congruit, quãtúmque interest inter honesti appetitionẽ, eiúsque rei quæ vtilis esse videatur. Ergo ij omnes, qui singulari quadã tenentur præclararum actionum & officiorum cupiditate, in commẽdatione omnium laudéque versantur. Quòd si omnes ad virtutẽ honestáſq; actiones quasi certatim cõtenderent, & publicè omnes decus, & priuatim singuli summũ bonum adipiscerentur: siquidẽ virtus ex eo genere est. Ita* φίλαυτος *sibi charus esse bonus debet. Nam & sibi præclaris actionibus proderit, & cæteros iuuabit. At non debet improbus: siquidem & sibi nocebit, & proximis: præsertim cùm prauis cupiditatibus obsequatur. Ac in deprauatis*

*quidem quæ agunt ipſi, ab iis diſſentiunt quæ facere debẽt. Boni autem viri quæ debent, eadem efficiunt. Nam & animus quod optimum eſt eligit, & vir bonus menti obtemperat. Nam quod aiunt, multa virum bonum & amicorum cauſa, & Reipublicæ gerere ſolitum, & ſi opus erit, mortem etiam oppetere, id verum eſt. Pecunias enim & honorem, & omnino cætera bona, de quibus homines inter ſe digladiari ſolent, contemnet ac pro nihilo putabit, dum ſibi honeſtatem ac decus retineat. Breui enim tempore ſummam malit, quàm longo leuem percipere voluptatem: & vnum annum præclarè viuere, quàm multos quouis modo: vnúmque officium præclarum & magnum, multis & paruis anteponet. Quod iis profectò accidit, qui pro amicis & pro patria mortem non dubitant oppetere: qui iidem ſibi quidem magnum decus aſſumunt, & diuitias pro nihilo ducunt, quò maiores opes amici conſequantur. Nam cùm diuitias & opes amici conſequuntur, tum ipſe decus & honeſtatem. Ita ſibi maiora bona retinet ac vendicat. Eadem honorum & imperiorum ratio eſt. Hæc enim amico omnia relinquet, ex quo decus ſibi laudémque comparabit. Rectè igitur bonus videtur is, qui rebus omnibus antefert honeſtatem. Atque etiam fieri poteſt, vt amico rerũ actione conceſſa, pulchrius ſit, eum amico gerendæ rei cauſam extitiſſe, quàm ſi ipſe gereret. Quare hoc iam perſpicuum eſt, bonum virum honeſtatis plus ſibi ex iis rebus omnibus quæ ad laudem valent, aſſumere ſolere. Atque hoc quidẽ modo, vt dictũ eſt, decet* Φίλαυτον, *id eſt, diligentem eſſe ſui: quomodo ſolẽt plerique, nõ decet.*

HOC *etiam de beato quæri ſolet, vtrum amicis, nécne,* Cap. 9.

*ei sit opus? Beatos enim, eósque omnes qui se ipsi contenti sunt, amicorum præsidia negant requirere: nam omnibus eos copiis & opibus abundare: cùm igitur se ipsi contenti sint, nullo egere. Amicũ porrò cùm quasi alter idẽ sit, quod quisque minus per se possit, id suppeditare. Hinc illud,*

„ *Quid est opus amicis, quando Deus fauet?*

*Sed absurdum sit, cùm bona omnia beatis attribuamus & concedamus, amicos non concedere, quibus nihil in bonis externis maius, nihil melius inueniri potest. Quòd si amici est beneficia dare potius quàm accipere: & si est boni viri ac virtutis, benignè facere, pulchrius autẽ & præstantius amicis quàm alienis subuenire: certè bonus vir quibus det beneficia, requirat necesse est. Quocirca quæri solet, vtrũ rebus aduersis magis, quàm secundis desiderentur amici: quòd calamitosi, qui opem ferant, & qui beati putantur, de quibus bene mereantur, requirant. Atque etiam illud fortasse alienum sit, beatum constituere solitarium: præsertim cùm nemo velit in summa solitudine omnibus opibus circunfluere & copiis. Est enim homo ad ciuilem congregationẽ, coniunctionémque vitæ natus. Hoc igitur beato adest, qui omnibus, quæ vi sua & natura bona sunt, sit præditus & ornatus. Atqui hoc quidem perspicuum est, cum amicis & bonis melius esse, quàm cum alienis & quibuslibet viuere. Est igitur amicis opus beato. Quæ est igitur superiorum sententia, quóque modo vera est? An id volunt à plerisque amicos eos potissimùm putari, ex quibus sperant se fructum esse capturos? cuius quidem generis nullum requiret beatus: quippe qui omnibus sit copiis præditus: neque eorum quenquam, qui de-*

*lectationis ſuauitatiſque cauſa parantur, niſi paulùm admodum. Quoniã enim vita ei ſuauis eſt & iucunda, nihil voluptatis adſcititiæ indiget. Et quia amicos eiuſmodi non deſiderat, continuò videtur nullos requirere omnino. Quod fortaſſe non ita eſt. Initio enim dixi beatitudinem in actione quadam conſiſtere, & perſpicuum eſt actionem gigni, non adeſſe, nec permanere ritu poſſeßionis. Quòd ſi beatitas omnis in vita & actione conſiſtit: boni autem viri per ſe & propter ſe bona eſt & iucunda actio, vt initio dictum eſt: ſua etiam quenque delectant: & cernere proximum quenque magis quàm noſmetipſos poſſumus, illorúmque res & actiones, quàm noſtras: bonorum quoque qui amici ſunt, actiones bonos viros delectant, præſertim cùm iis vtriſque ea inſint quæ ſua vi & ſuapte natura iucunda ſunt: efficitur vt beati amicos eius generis deſiderent neceſſarió. Siquidem intueri vult actiones & facta præclara & ſua, quo ex genere ſunt illa amici qui ſit vir bonus. Huc accedit quòd beatum iucundè viuere putant oportere. Itaque in ſolitudine agenti, moleſtiarum ac curarum vita pleniſßima eſt. Nec enim facile eſt eum qui degat in ſolitudine, continuè in rerum actione verſari: cum aliis & apud alios multo facilius. Futura eſt igitur ita denique actio diuturnior, ſi iucunditas vera acceſſerit, quod ineſſe debet in beato. Nam vir bonus, quia bonus eſt, honeſtis delectatur actionibus, turpibus offenditur: ſicuti muſicorum aures ſuauibus ſonis permulcentur, offendũtúrque contrariis. Atque etiam ex vita victúque communi inter bonos, exercitatio quædam virtutis comparatur: vt etiam Theognidi placet,*

„ *Virtutem ex iustis disces, verúmque laborem:*
„ *Improbus inficiet téque animúmque tuum.*

*Qui autẽ longius à natura causam petunt, iis videtur vir bonus natura expetendus amicus esse viro bono. Quod enim per se suáque vi bonum sit, id docui bono viro sua sponte bono esse ac voluptati. Atqui vita in animantibus vi sensus definitur, in hominibus vi sensus & intelligẽtiæ. Sed vim actio rerum consequitur, & laus omnis in actione cõsistit. Viuere autem est propriè sentire & intelligere. Vita etiam in iis est, quæ per se bona sunt & iucunda. Nam definita certáque est: & quod certum est, ad naturam boni accommodatum est. Quod autem suapte natura bonum est, omne bono viro bonum videtur. Quocirca suus status quenque delectat. Sed non est designanda vita vitiosa & deprauata, neque doloribus cruciatibúsve confecta. Vt enim quæ insunt in tali vita, sic ipsa incerta infinitáque est. Quod ex iis quæ mox de dolore dicam, erit multo euidentius. Quòd si ipsa vita bonum est, & iucundum: quod hinc perspici potest, quia cùm omnes, tum vel maximè boni ac beati eius cupiditate ducuntur. Nam & his expetenda est maximè, & illorũ vita beatissima est. Qui autem cernit, se cernere sensu percipit: & qui audit, se audire: & qui ambulat, se ambulare, itémq; in cæteris quiddam est, quod nos agere percipit. Ergo sensu percipere possumus, nos sensu aliquid percipere: & mente agitare possumus, nos aliquid intelligere. Illud autem sentire in nobis esse rei alicuius sensum, & intelligere quod in nobis sit intelligentia, est quod simus & in vita manemus, percipere. Nam esse, & in vita manere, est, vel sensu vel animo per-*

*cipere. Atqui ſentire ſe quenque viuere in iis eſt, quæ ſunt ſuapte natura iucunda. Nam per ſe vita eſt in bonis, ſenſus autem alicuius rei bonæ quòd adſit, ſuauis eſt. Vita autem cùm omnibus expetenda eſt, tum maximè bonis, quòd eis eſſe bono ſit & voluptati. Senſus enim eius quod ſuapte natura bonum ſit, eos delectat. Quemadmodum porrò in ſe bonus vir, ſic in amicum animatus eſt. Eſt enim amicus alter idem. Vt igitur ſuus cuique, ſic aut pari propemodũ ratione, ſtatus amici expetendus eſt. Status autem ob eam cauſam expetendus eſt, vt diximus, quia ipſum ſibi bono eſſe, ſenſu perciperet, qui quidem ſenſus per ſe ipſe delectat. Amicum ergo neceſſe eſt, beatus in vita manere ſentiat. Quod vita victúſque communis, ſermonúmque ac conſiliorum omnium efficiet ſocietas & communio. In ea enim vitæ degendæ ratione hominum inter ipſos conſiſtit coniunctio, non vt pecudũ, in paſtu cibóque communi. Quòd ſi ſtatus propterea beati expetendus eſt, quòd ſit ſua ſponte in bonis, voluptatémque afferat, in eodem autem genere eſt amici ſtatus: fit vt amicus in iis numeretur, quæ beatus expetere debeat. Quod autem ei optabile eſt, ei adeſſe debet, aut hac parte aliquid ei deerit. Amicos igitur veros & viros bonos, qui futurus eſt beatus, deſiderabit.*

SED *vtrum parandi ſunt amici multi, an quemadmodum in hoſpitalitate rectè dici videtur, nec multitudine opus eſſe hoſpitũ, neque omnino deſertũ eſſe oportere: ſic deceat in amicitia nec deſertũ eſſe ab amicis, neque multitudinem amicorum ſibi adiungere: magna quæſtio eſt. Ac in iis quidem qui vtilitatis cauſa fingunt amicitias, quod dictum eſt, valere videatur. Difficile eſt enim multis referre* Cap. 10.

gratiam, neque ad id agendum satis sit vita. Quocirca plures quàm res familiaris patiatur, superuacanei sint, afferántque impedimentum ad vitam honestè degendã. Non est igitur his opus. Iis etiam qui delectationis iucunditatisque causa amicitiæ præsidia quærunt, pauci satis sunt amici, sicuti in deliciis condimentum. At verò boni viri vtrũ multos parare debẽt? an vt ciuitatis, sic multitudinis amicorum certi sunt termini constituti? Neque enim ex decem hominibus constat ciuitas, nec si centum millia excreuerit, etiamnum ciuitas est: numerúsque fortè non est vnus quidã & certus, sed omnis qui inter certos aliquos & definitos cõstitutus est. Ergo amicorũ quoque multitudinis certi quidã fines & termini cõstituti. Et fortasse ita definiẽdus numerus amicorũ, vt non plures sint quàm quibuscum liceat vitam traducere, cùm præsertim id amicitia dignissimũ esse videatur. Nec verò dubiũ est, fieri nõ posse, vt quisquam vitæ societate cum multis coniunctus, iis se quasi dedat & impertiat. Iam verò illi etiam cõiuncti sint amicitia oportet: siquidẽ omnes vita victúque communi consociati sint: quod certè in multis difficile est. Difficile est etiã & rebus prosperis gaudere, & aduersas grauiter ferre cũ multis, vt se ad eorum sensum nutúmque accommodet. Ita enim euenire poterit, vt simul cum vno voluptate afficiatur, doleátque cum altero. Quapropter fortè hîc præclarè agẽtur, si minus, quàm plurimos amicos quæramus: at tantum certè numerum, quantus sat sit ad vitæ simul degẽdæ institutum. Neque enim fieri videtur posse, vt cuiquam valde chari sint plurimi. Itaque ne amore quidem multos prosequi possunt qui amant. amor enim est veluti

*excellens quædam ac præstãs amicitia, qua vnus cum vno tantùm coniungitur. Quare si qua sit magna & excellens amicitia, ea vni cũ paucis intercedat necesse est. Quod etiã rerũ vsu, ac reipsa experimur. Neque enim inter multos ea iungitur, quæ sodalibus inter ipsos est amicitia. Et quæ celebrantur efferuntúrque laudibus, eæ inter duos iunctæ feruntur. Qui autem multitudinem & quasi cohortem sibi adiungunt amicorum, quique se familiariter gerunt cum omnibus, ij amici nemini videntur, nisi more vrbanorum, quos vocant comes & affabiles. Quapropter vni qui etiã ad voluptatẽ non loquatur, sed qui verè sit bonus, amicitia cũ multis, ciuiũ propria illa quidẽ, intercedere potest: amicitia autẽ quã virtus contrahit & conciliat, nõ potest. Nec sanè id fit immeritò, si paucos huius generis reperiamus.*

ATQVE etiam hoc quæri solet, vtrũ rebus secũdis magis, quàm aduersis amici desiderãtur? Nã in vtroque genere quærũtur. Nam & ij qui aduersa vtuntur fortuna, opis indigent: & qui secunda, conuictores requirunt, & quibus benignè faciant, præsertim cùm aliis beneficia conferre velint. Ac rebus quidem aduersis magis sunt illi quidẽ necessarij, quòd in hoc genere ij quærãtur, ex quibus fructus percipi possit: sed honestius sanè est in rebus secundis amicum se præstare. Itaque viros bonos sibi adiungunt, quòd & in iis subuenire, & cum iis viuere optabilius ac melius esse videatur. Suauis est enim amicorum præsentia & in prosperis rebus & aduersis. Mœrores enim & luctus facit amicitia communicans patiénsque leuiores. Quocirca quæret aliquis, vtrum doloris quasi oneris socij sint amici, an non ita sit, sed eorum iucunda præsentia, sensúsque *Cap. II.*

communis doloris minorem faciat ægritudinem. Ac vtrum ob eas causas, an ob rem aliquam aliam leuetur eorum dolor, omittamus exponere: quanquam id, quod dixi, euenire videmus: & eorum quodammodo mixta præsentia videtur. Nam amici aspectus suauis est ei præsertim, qui in miseriis luctúque versetur: in eóque ad depellendum dolorem præsidium quoddam est paratum & constitutum. Amicus enim si verus sit ac ingenuus, aspectu & sermone consolari potest. Nam cùm eius habeat mores cognitos, quibus ille rebus moueatur, & offendatur, intelligit. Sentire autem alterum suis incommodis dolere, molestum est. Nam omnes cauent, ne amicis causas doloris afferãt (ideóque qui sunt magno fortique animo præditi natura, dant operam, ne amici in partem veniant doloris sui.) Ac nisi sit nimia eorum indolentia, non possunt æquo animo ferre, si qua illos ægritudine vrgeri videant: omninóque eos respuunt, qui socios se præbent lamentorum: propterea quòd ne ipsi quidem propensi sunt ad lamentandum. At verò mulierculæ similésque mulierculârum viri, eorum potissimùm consuetudine delectantur, qui socios se præbent gemitus & lachrymarum, eósque vt amicos & doloris socios diligunt. Sed par est scilicet in omni re optimũ quenque imitari. In rebus autem asperis, iucundam vitæ consuetudinem & coniunctionem, sensúmque suauem efficit amicorum præsentia, quòd iisdem rebus boníque moueantur. Itaque vltro, ad societatem & communionem prosperitatum amici vocandi sunt (nam pulchrum est benignitate vti haud grauatè) ad societatem verò calamitatum, timidè, ac rarò. Neque enim rectum est amicos malorum

*socios facere. Ex quo factum est prouerbium, Satis ego supérque miser sum. Tum autem vocãdi sunt maximè, cùm leui suscepta molestia, ei profuturi sunt plurimúm. Contráque decet ad eos qui calamitate premuntur, inuocatum & studiosè venire: siquidẽ amici est liberalitate vti in eos præsertim qui opis indigeant, & in eos qui non rogarint: nã in vtroque præclarius & suauius est. At verò in prosperitate, si actionis officiique causa postulet, studiosè ad amicum eundum est: eius enim rei gratia, amici desiderantur: sin vt beneficium accipias, sensim id timidéque faciendum. Non enim decorum est, vltro paratum esse ad petẽdum præsidiũ. Sed tamen vitanda est forsitan in denegando quod petitur, offensionis quæ nonnunquam suscipitur opinio. Ergo hoc quidem perspicuum est, in omni fortuna amicorum esse expetendam præsentiam.*

SED *vtrum vt animantibus ipse aspectus charissimus est, iíque sensum hunc præ cæteris expetũt, quòd in eo potissimùm amor versetur, indéque nascatur: sic amici vitam victúmque communem maximè exoptant? Nam & communitas quædam amicitia est, & quo modo in se quisque affectus est, eodem erga amicum. Atqui suus cuique in semetipso optabilis est sensus: & in amico igitur. Eius autem sensus munus & officium, in vita victúque communi cernitur. Iure igitur vitæ societatem expetunt. Itaque in quo quisque statum vitámque ponit, & quò omnes vitæ degendæ rationem referunt, in eo vitam volunt cum amicis consumere. Quocirca alij vnà conuiuantur, alij vnà se talorum ludo oblectant, nonnulli se exercent vnà, & venando, & philosophando: in iisque totos dies & ætates* Cap. 12.

*conterunt, quæ quisque in vita maximè adamauit. Quoniam enim viuere cum amicis vnà cupiunt, ea faciunt ipsi: earúmque rerum coniungũtur communione, in quibus cõsuetudinem vitæ putant consistere. Quapropter improborum mala amicitia est, qui cùm instabiles inconstantésque sint, rerum malarum ineunt societatem: similésque ac pares inter se, facilè corrumpuntur. At verò bonorum præclara & honesta est amicitia, quæ vsu & consuetudine confirmatur. Videntur etiam progressum in virtute facere, officiis emẽdationéque communi. Alter enim ab altero ea exprimit, quibus percipiant voluptatem. Hinc illud,*

„ *Virtutem ex iustis disces verúmque laborem.*

*Ac de amicitia quidem hactenus.*

# ARISTOTELIS ETHICORVM LIB. X.

*Cap. 1.*

*SEQVITVR forsitan, vt deinceps de voluptate disseramus, quandoquidem generi nostro videtur esse coniunctissima. Itaque pueros instituunt voluptate ac dolore gubernare. In eo etiam vis maxima est ad virtutẽ, quæ more perficitur, si quis bonis rebus lætetur, doleátque contrariis. Patent enim hæc omnia per omnem vitam latissimè, in iisque magnum momentũ, visque magna est ad virtutem & beatam vitam. Nam & quæ iucunda sunt, omnes sequuntur,*

*& quæ molesta declinant. Quæ cùm ita sint, minimè prætermittenda fuit hæc disputatio, præsertim cùm magnam ea quæ ab Eudoxo dicuntur, adferant dubitationem. Alij enim voluptatem summũ bonum esse dicũt, alij cõtrà valde magnum malũ. Atque horum alij ita dicunt, quòd eam omnino huiusmodi esse credãt. Alij, quòd ita denique melius actum iri putant cum vita nostra, si voluptas, quanquam non sit, tamen ponatur in malis: procliuem enim ad eam multitudinem esse, ac seruire voluptatibus. Itaque flectendam & deducendam esse in partem contrariam. Sic enim perueniri posse ad mediocritatem, atque perfectũ. Sed hæc nulla ex parte vera est, aut honesta oratio. Omnis enim quæ de perturbationibus & officiis instituitur oratio, minorem quàm facta ipsa, habet authoritatem. Cùm igitur dicta ab iis discrepant, quæ perspicua sunt sensibus, tum ea contempta, veritatem ipsam tollunt funditus. Nam qui voluptatem quam visus est sequi aliquando, vituperat, is ad eam procliuis videtur, quasi non sit ex eo genere quælibet. Non enim multitudinis est discernere. Quapropter oratio si vera sit, non solùm ad intelligendum, verùm etiam ad viuendũ valet plurimũ. Si enim factis & vitæ congruat, tum comprobatur. Quocirca eos hortantur, à quibus intelligitur, vt vitam ad eam quasi ad normã dirigant. Sed hæc hactenus. Nunc ea explicanda sunt, quæ de voluptate feruntur.*

EVDOXVS *quidẽ voluptatem summũ bonũ dicebat, quòd omnia videret eã sequi, & quæ ratione vterẽtur, & quæ essent expertia. In omni autẽ re quod bonũ sit, expetẽdum esse, & optimũ quicque maximé. Atqui eam summũ bonum esse omnibus ex eo declarari, quòd ad eam toto* Cap. 2.

*impetu omnia ferrẽtur. Omnes enim quod ſibi bono ſit reperire, ſicuti cibũ. Quod igitur omnibus bono ſit, quódque omnia expetant, id ſummum bonum eſſe. Quæ eius rationes cõprobatæ ſunt, non ſua vi ſolùm & pondere, ſed multo magis bonitate ipſius & moribus. Præſanti enim ac ſingulari habitus eſt temperantia. Non igitur tanquam voluptatis amans hac vti oratione videbatur, ſed quòd res reuera ita haberet. Nec verò ex cõtrario minus perſpicuum fieri putabat. Dolorem enim omnibus per ſe eſſe fugiẽdum, itémque expetendum contrarium. Maximè autem expetendum eſſe, quod rei nullius cauſa ſequeremur, qualis eſſet voluptas, conſenſu omniũ. Neminem enim quærere, quamobrem voluptate afficiatur, quòd per ſe & propter ſe ſit voluptas expetenda. Quæ ſi ad bonum quoduis adderetur, veluti ad ea quæ iuſta & modeſta ſunt, magis id expetendum efficere. Atqui bonorum acceſsio, niſi ab iis quæ etiam bona ſint, fieri non poteſt. Verùm hæc quidem ratio non magis voluptatem in bonis videtur, quàm aliud ponere. Quicquid enim bonum eſt, omne coniũctum cum alio, optabilius eſt & magis expetendum; quàm ipſum ſeparatim. Qua etiam ratione Plato refellit eſſe ſummum bonum voluptatem. Magis enim expetendam cum prudentia coniunctam iucundam vitam, quàm ipſam ſeparatim. Quòd ſi pluris ſit coniuncta voluptas, non eſſe in ea ſummum bonum. Nullius enim acceſsione boni, ſummum bonum magis expetendũ effici poſſe. Illud autem perſpicuum eſt, non poſſe quicquam aliud ſummum bonum eſſe, quod coniunctum cum alio, quod per ſe bonum ſit, magis expetendum & optabilius exiſtat. Quid ergo eſt eiuſmodi,*

*cuius nos etiam participes ſumus? nam tale quæritur. Qui nanque negant ſummũ bonum id, quod omnes appetunt, ij nihil dicũt. Quod enim videtur omnibus, id eſſe dicimus. Nec qui tollet hãc probationem, aliquid veriſimilius probabiliúſve adferat. Etenim ſi ſola mẽtis expertia eam expeterent, aliqua eſſet eorũ oratio. Sin ea etiam quæ prudẽtia vtũtur, quid eſt quod poßint dicere? Atq; etiã corruptis & deprauatis hominibus fortaſſe à natura quædã boni particula tributa eſt, præſtantior & melior, quàm ſint ipſi per ſe, quæ bonum naturæ accommodatum expetit. Nec etiam videtur vera refutatio illius rationis, quæ de contrario adfertur. Negant enim ſi dolor malum ſit, continuò voluptatem eſſe bonum. Malum enim malo eſſe contrarium, & neutri vtrunque. Quæ cùm dicunt, vera quidem illi dicunt, ſed quæ tamen locum habere in iis non poſſunt, de quibus agitur. Si enim vtraque ſint in malis, fugienda etiã eſſe oporteret: ſin neutrum ſit aut alterum, eadem ratio eſt. Nunc conſtat homines voluptatem ſequi, vt bonum, & dolorem fugere, vt malum. Ita inter ſe ſunt contraria.*

NEC *ſi voluptas qualitas non eſt, idcirco in bonis non eſt: quippe cùm nec virtutis actiones qualitates ſint, nec beatitudo. Contendunt autem bonum certum eſſe & finitum, voluptatem infinitam & incertam, propterea quòd acceßionem & deceßionem admittat. Atqui ſi ex eo quod eſt voluptate affici id iudicãt, idem valebit in iuſtitia cæteriſque virtutibus omnibus, in quibus contentionem & remißionem manifeſtò capiunt, qui ex iis quales cognominãtur, vnde fit, vt pari ratione ipſæ virtutes acceßionẽ capere dicãtur & deceßionem. Alij enim aliis ſunt, & iu-* Cap. 3.

*ſtiores, & fortiores. Et poteſt aliquis quæ iuſta & modeſta ſunt, & contentius facere, & remiſſius. Sin ipſis in voluptatibus id velint ineſſe, ſatis explicatè nunquam cauſam adferant, cùm ſint aliæ immixtæ & ſimplices, aliæ mixtæ & coniunctæ: quid verò prohibet, vt valetudo quæ certa ſit & finita, firmior eſt & infirmior, ſic maiorẽ fieri & minorem voluptatem? Non enim vel omnium eſt eadem temperatio, vel aliqua certa ſemper in eodem, ſed remiſſa ad tempus permanet: differtque acceſſione & deceſſione à ſuperiore: quod idem in voluptate poteſt cõtingere. Præterea cùm ſummum bonum perfectum quiddam & abſolutum ponunt, motiones autem & ortus imperfectos: voluptatem quidem motum & ortum oſtendere conantur, quod mihi inſcitè videntur dicere. Neque enim motus eſt voluptas, quandoquidem propria eſt omnis motionis velocitas & tarditas: & ſi non per ſe, velut ei quæ mũdo attributa eſt per cõparationem ad aliud. At neutrũ horum voluptati accidit. Fieri enim poteſt, vt quemadmodum in ira, ſic aliquis citò ſit in voluptate: vt autẽ voluptatem capiat citò, non poteſt, ne facta quidem cum alio comparatione. At vt ingrediatur quis, & creſcat, poteſt, & ſi qua ſunt eiuſdẽ generis. Fieri ergo poteſt, vt celeriter, tardéue mutemur in voluptatem: vt autem citò conuenienter voluptati agamus, id eſt gaudeamus, & afficiamur voluptate, non poteſt. Ortus porrò quo tandem pacto ea futura eſt? Non enim ex re qualibet quiduis oritur, ſed occidũt in id omnia, vnde orta ſunt: & cui rei cauſam ortus adfert voluptas, eidẽ eſt dolor interitus cauſa. Atque etiã dolorem dicũt, indigentiam eſſe eius quod naturæ accommodatum*

*est:voluptatem eius expletionem atque satietatẽ, quæ sunt perturbationes corporis.Si ergo voluptas expletio est eius, quod naturæ accommodatum sit:in quo fuerit expletio, id profectò percipiat voluptatẽ necesse est . Ita corpus capiet voluptatẽ.At non est ita.Nõ est igitur expletio voluptas, sed cùm fit satietas & expletio, tum quis voluptate afficitur:& cùm secatur, dolet. Ac mihi quidem certè hæc manasse sententia videtur ex iis voluptatibus & doloribus, quæ ex cibo alimentóque capiuntur . Cùm enim homines aliquid dolentes desiderant,pòst eius expletione oblectantur , quanquam non omnibus id voluptatibus contingit. Vacant enim dolore mathematicæ voluptates , earúmque quæ sensibus percipiuntur , eæ quæ olfactu percipiuntur: atque etiam auditiones & aspectus : multæ præterea recordationes & expectationes dolore carent. Quæ quidem cuius tandem rei ortus sunt futuræ? præsertim cùm nullius fuerint indigentiæ,quam explere possint. Nam iis quidem hominibus,qui obscœnas voluptates adferunt , respondendum est,non esse iucũda illa,ex quibus illæ capiantur. Nõ enim si hominibus malè affectis, & constitutis iucunda ea sunt,idcirco putanda sunt iucunda esse omnino & absolutè,sed his modò talibus:sicuti ne ea quidem salubria sunt quæ ægris vidẽtur,nec dulcia,nec amara : nec rursum alba ea sunt, quæ alba lippis videntur . Aut certè hoc modo dicatur,voluptates quidem expetendas esse,at non si ab iis talibus proficiscantur : vt sunt diuitiæ experendæ, at non proditori : & valetudo est illa quidem expetenda , sed tamen non ei qui vescatur re qualibet . Aut specie voluptates differre. Aliæ enim ex honestis rebus capiũtur, aliæ*

*ex obſcœnis & turpibus. Nec quenquam delectare poteſt voluptas, quæ ex rebus iuſtis capitur, niſi idem ſit iuſtus: nec quæ ex muſicis, niſi idem ſit muſicus. Eadem eſt ratio cæterarũ. Videtur autem amicus, qui ab aſſentatore abeſt diſtátque plurimùm, oſtendere nõ eſſe voluptatem bonũ, aut certe ſpecie differre. Ille enim boni honeſtíque cauſa cõgreſſus & conſuetudines ſequitur, quod laudi ducitur: hic voluptatis, quod vitio datur, ex quo diuerſa eſſe quo referunt ſuos congreſſus, intelligitur. Nemóque eſt, qui iis velit voluptatibus perfluens, quibus pueri ſua quidẽ opinione maximis ducũtur, in puerili mente degere omnem ætatem: neque ex obſcœnis & turpibus factis voluptatem capere, nullo vnquam impendente doloris metu. Multarum etiam rerum ſtudio trahamur, etiam ſi nullã voluptatem adferant: vt videndi, vt recordandi, vt ſciendi, actioníſque virtutum. Nec intereſt, vtrum ex iis voluptas cõſequatur neceſſariò: quippe cũ ea ſequeremur, etſi nulla ex iis gigneretur voluptas. Ergo illud quidem perſpicuum eſt, nec bonum voluptatem eſſe, nec omnem expetendam: etiã illud, per ſe expetendas aliquas, quæ ſpecie inter ſe differant, aut iis rebus ex quibus oriantur. Ac de iis quidem, quæ de voluptate & dolore diſputantur, hactenus.*

Cap. 4. QVID *autẽ, qualíſve ſit, facilius, ſi paulo altius repetamus, intelligetur. Aſpectus enim perfectus eſt, quacũque temporis quo aſpicimus parte. Nihil enim deſiderat, quod factum in poſterũ formam poſſit abſoluere. Huic eſt ſimilis voluptas, quæ totum quippiam eſt ſemper: nullo enim tempore quiſquã ita capere voluptatẽ poteſt, vt ſi maiore tempore gignatur, eius forma poſſit abſolui. Ita ne motus*

quidẽ est. Motus enim omnis in tẽpore fit, finémque aliquẽ & terminũ spectat: veluti actio quæ in ædificando suscipitur, tum perfecta absolutáque est, cũ id quò refertur, absoluerit. Ac in toto quidem tempore motus perfectus est. At in partibus tẽporis omnes imperfectæ sunt: differũtque specie à perfecta actione, & illæ etiam inter se. Lapidum enim compositio à columnæ erectione differt, & hæ ipsæ à templi perfectione. Ac templi quidem ædificium & structura vndique perfecta est, quum ei nihil desit quod propositum fuerat: crepidinum autem & laqueàriũ inchoata, non perfecta, quippe cùm vtraque partis sit propria. Quapropter specie inter se differunt, nec potest in vllo, nisi in toto tempore, reperiri motus in suo genere perfectus. Similis est ratio ingressus & motionum cæterarum omnium. Etenim translatio motus est quo hinc illuc itur: & huius in specie differentiæ sunt volatus, ingressus, saltatio, & alia eiusdem generis: verùm non illa solùm reperitur in hoc motu speciei distinctio, sed in ipso etiam incessu. Terminus enim ex quo mouemur in aliũ, non est idem in stadio & in parte, neque in alia atque alia parte. Nec idem est huius & illius lineæ transitus. Non enim solùm linea præteritur, sed etiam linea quæ in loco sita est. At in alio loco hæc atque illa est. Ac de motu quidẽ aliis libris accuratè disputauimus, qui quidem nõ in omni perfectus tempore videtur, sed inchoati sunt ac non perfecti multi, qui etiam specie inter se differant: siquidem termini, à quo motus incipit, & in quo desinit, speciem conficiunt. At verò voluptatis est in quolibet tempore perfecta forma. Ita perspicuum est & inter se specie differre voluptates, & in iis

esse, quæ vniuersa, totáque sint atque perfecta. Quod etiam hinc perspici potest, quia nihil moueri nisi in tempore potest, at voluptate affici potest: ~~quãdoquidem quod in puncto est temporis, id totum est etiam atque vniuersum~~. Ex quibus hoc quoque perspicuum est, ~~in~~scitè ab his in motu & ortu poni voluptatem. Neque enim hæc ipsa sunt rerũ omnium, sed earum duntaxat quæ diuidua in partes sunt, non ipsa quædam tota. Nec enim aspectus ortus est, nec puncti, nec vnius: nec quicquam eorum est motus aut ortus. Nec igitur voluptatis quidem, quæ est res quædã tota & vniuersa. Cùm verò sensus omnis in eo munus suum exequitur, quod sub ipsum cadit: tum is qui bene affectus est, in eo probè munus officiúmque suum tuetur, quod omnium quæ sub sensum illum subiecta sunt, est præstantissimũ: siquidem tale quiddam perfecta actio, perfectúsque vsus videtur maximé. (At vtrum sensum agere dicamus, an id ipsum in quo ipse sit, nihil hîc interest) in omnibus sanè actio est optima eius qui optimè ad id affectus est, quod est omnium, quæ sibi subiecta sunt, nobilissimum, quæ eadem sit necesse est & absolutissima & suauissima. Est enim ~~sua cuiusque sensus voluptas propria~~, itémque mentis & contemplationis. ~~Ea autem actio~~ plurimum habet iucunditatis, ~~quæ est perfectissima~~. At ea demum perfectissima est, quæ ab eo proficiscitur qui bene affectus aptúsque est ad eam rem gerendam, quæ omnium optima est earum, quæ propositæ sunt sibi. ~~Perficit autem actionem voluptas~~: nec verò ita voluptas perficit, vt res sensui subiecta, & sensus ipse, cùm sunt integra: sicuti ne valetudo quidem & medicus eodem modo causa sunt cur

valeamus. Illud autem perſpicuum eſt, in omni ſenſu verſari voluptatem, ſiquidem aſpectus & auditiones iucundas eſſe dicimus. Ac illud quidem etiam perſpicuum eſt, ita denique ſummam voluptatem futuram, ſi ſenſus ſit integerrimus, & in re aliqua eius generis occupatus: cúmque erunt eiuſmodi, res ſub ſenſum ſubiecta, & res ſenſu percipiens, ſemper erit voluptas, ſiquidem adſit quod agat quódque patiatur. Sed actionem abſoluit voluptas, non vt ingenitus quidam habitus, ſed vt quidam finis accedens, veluti hominibus corroboratis iam confirmatíſque ætatibus, pulchritudo ſolet accedere. Quandiu porrò res ſubiecta ſenſui vel intelligentiæ talis manet, qualis debet, itémque & quod iudicat & quod contemplatur: tandiu futura eſt voluptas in actione. Etenim ſi quod agit quódque patitur ſimilia ſint, eodémque modo inter ſe affecta: eadem res ſolet exiſtere natura. Et quoniam voluptate nemo continenter afficitur, aut laborem ſubit (humanæ enim res laborem ſempiternum non poſſunt pati) idcirco ne voluptas quidem manet vlla ſempiterna, cùm præſertim actionem comitetur. Res autem quædam placent illæ quidem & delectant cùm nouæ ſunt: ſed in poſterum ob eam ipſæ cauſam non item. Primùm enim inuitatur & allicitur animi cogitatio, & in res ipſas tota intenditur: vt aciem oculorum intendunt ij omnes, qui res conſiderant: deinde actio eiuſmodi non conſequitur, ſed multo remiſſior. Ita voluptas quoque omnis obſcuratur. Omnes autem voluptatem appetere, hinc intelligi poteſt, quòd omnes vitæ cupiditate ducũtur. Atqui vita quædã actio eſt. In iiſque rebus & his quiſque elaborat & verſatur, quas maximè

*adamat: vt musicus auditu in cantu, vt discendi cupidus intelligentia in rerũ cognitione & contemplatione, itémque cæteri. At rerum actiones vndique absolutas voluptas efficit, vitam etiam cuius cupiditate incensi sumus omnes. Ergo voluptatem quoque expetunt, nec sine causa, quippe cùm vitam quam quisque expetit, absoluat. Vtrum autem vitam voluptatis causa expetamus, an ad vitam voluptatem referamus, nunc omittamus quærere. Copulata enim hæc inter se videntur, vt neutrũ ab altero nec diuelli possit nec distrahi. Nam & ~~voluptas esse sine actione nullo~~ modo potest, & perficit ~~omnem actionem~~ voluptas.*

Cap. 5. EX quo perspici potest, voluptates differre specie. *Quæ enim differentiũ sunt generũ, ab aliis atque aliis perfici putamus. Differũt autem mẽtis voluptates ab iis quæ percipiũtur sensibus. Cõstat enim sic habere omnia, & quæ natura, & quæ arte solẽt effici. vt animalia, vt arbores, vt pictura, vt statuæ, vt domus, vt vas. Patet igitur eodem modo actiones etiam quæ specie differũt, ab iis compleri quæ specie differant. Atqui quæ mente gerũtur ab iis, quæ sensibus, & hæ inter se diuersæ sunt. Et voluptates igitur quæ eas complẽt & absoluunt. Idque ex eo etiam intelligi potest, quòd ~~vnaquæque voluptas cũ ea coniuncta~~ est actione, ~~quam compleat~~. Auget enim ~~actionem~~ sua voluptas. Acrius enim & accuratius iudicãt exquirúntque omnia ij, qui rem gerunt & tractant libenter. Vt geometræ fiunt ij, qui rebus geometriæ subiectis delectantur, itque omnia melius intelligunt. Itémque & musicæ & architecturæ studiosi, & cæterarum artium singuli artifices suo quisque operi accessionem reperit, eo delectatus. Adaugent igitur*

voluptates. At quæ rem augent, maiorémque efficiunt, finitima ac propria videntur. Quæ autem iis rebus quæ ſpecie differunt, finitima ac propria ſunt, ea etiam ſpecie differũt. Iam verò hinc etiam facilius hoc ipſum intelligi poteſt, quòd quæ à diuerſis rebus ortæ ſunt voluptates, actiones impediunt. Qui enim tibiarum cantu tenentur, nõ poſſunt verba quæ interim fiunt, aduertere, ſi tibicinem modulantem audiant, cùm maiorem voluptatem ex numeris capiant, quàm ex præſenti actione. Voluptas igitur quam parit tibiarum numerus, eam labefactat actionem, quæ in oratione verſabatur. Quod idem in aliis contingit, cùm ſimul in duas res intendimus. Quæ enim plus habet oblectationis, excludit alteram: eóque magis, quò maior voluptatis præſtantia eſt, vt nihil agamus in altera. Itaque cùm vehementer nos res quælibet delectat, non admodũ aliud agimus: aliáque facimus, dum ex aliis leuem capimus voluptatem. Quod iis vſuuenit, qui in theatro edunt bellaria: id enim faciunt tum maximè, cùm imperiti ignobiléſque concertant. Quoniam autem voluptas propria & delectatio accuratas facit, & diuturniores & meliores actiones: quæ autem alienæ ſunt, corrumpunt & labefactant, perſpicuum eſt inter eas intereſſe plurimum. Ferè enim idem faciunt alienæ voluptates, quod proprij dolores. Auferunt enim moleſtiæ propriæ, actiones. Vt ſi cui iniucundus moleſtúſque eſt ſcribendi labor, alteri ratiocinandi: ille ſcribere, hic ratiocinari non ſolet, quòd moleſtiæ plena ſit actio. Contingit ergo circa actiones rem ſe habere, contrà in voluptatibus iis quæ naturæ accommodatæ ſunt, atque doloribus. Accommodatæ autem ſunt & propriæ eæ, quæ

*actionem per se consequuntur. Alienæ verò dictæ sunt, quæ simile quiddam faciunt doloris. Interimunt enim etsi non non eodem modo. Præterea cùm actiones aliæ bonæ sint, aliæ malæ, earúmq; nonnullæ expetendæ, quædã fugiendæ, aliæ indifferentes, eadem est ratio voluptatum. Sua enim cuiusq; actionis voluptas est & delectatio. Quæ ergo pra-uæ propria est, eadem inhonesta & mala: quæ bonæ & honestæ, bona. Et enim rerum honestarum laudandæ sunt cupiditates, turpium vituperandæ. Sed actionibus interiores sunt & magis propriæ, quæ in ipsis insunt voluptates, quàm appetitiones: quoniam hæ sunt ab illis disiunctæ & temporibus & natura: voluptates autem ita prope accedunt ad actiones, adeóque indistinctæ sunt, vt idémne sit voluptas quod actio, sit quæstio: non tamen videtur quidem, quoniam absurdum est, voluptas esse cogitatio aut sensus. Sed quia non separantur, idem videntur esse nonnullis. Vt igitur actiones, sic voluptates differunt. Interest autem aspectus à tactu puritate, & à gustatu tactus & odoratus. Similitérque differunt inter se sensuum voluptates, & ab his quæ mentis sunt propriæ & inter se vtræque: videtúrque vt opus, sic sua cuique animalium voluptas esse attributa, ea scilicet quæ propriã cuiusque actionem comitatur. Id quod singula spectanti videbitur. Alia est enim voluptas equi, alia canis, alia hominis. Verúmque est illud Heracliti, Asinos stramẽ malle quàm aurum. Est enim asinis stramen pabulum, quàm aurum suauius. Atque hæ quidem quæ propriæ sunt eorum quæ specie differunt, diuersorum etiam sunt generum. Quæ autem eorum sunt quæ eiusdem sunt generis, eas consentaneum est, vt*

*non differant. At verò in hominibus magna earum distinctio est. Eadem enim res alios offendit, alios delectat: nonnullísque molesta ac odiosa est, quibusdam suauis & optanda. Quod etiam in rebus dulcibus contingit. Non enim eadem res dulcis videtur ei, qui febri afflictatur, & valenti: neque idem calidum ei, qui imbecilla & infirma est valetudine, & ei qui bene habet corpus constitutum: similitérque fit in cæteris. In quibus omnibus id videtur verum, quod sapienti videatur. Quòd si præclarè ac verè dicitur: profectò vt videtur, sic etiam est rerum omnium mensura virtus, & sapiens, quia talis est: voluptatésque eæ sunt habẽdæ, quæ huic videntur: & iucunda ea, quibus hic gaudet. Quæ autẽ ei grauia & molesta sunt, ea si cui suauia videantur, nihil mirum. Multæ enim sunt hominum deprauatæ infectæque affectiones, nec ea voluptatem efficiunt, nisi fortè istis, & qui ita affecti sunt & constituti. Ac eas quidem quas obscœnas & turpes constat esse, perspicuum est non esse nominãdas voluptates, nisi fortè deprauatorum hominum. Earum autem sunt quæ veræ voluptates, quæ tandem, qualísve hominis propria voluptas habenda est? an id perspici potest ex actionibus? eas enim voluptates consequuntur. Siue ergo vna, siue plures habendæ sunt perfecti & beati viri actiones, profectò quæ quas complebunt & absoluent, eæ propriè & verè dici possunt hominis voluptates. Cæteræ secundum locum, idque multifariam, vt etiam actiones obtinebunt.*

RELIQVVM *est, quoniam de iis disseruimus quæ ad virtutes, amicitias, & voluptates pertinebãt, vt populariter ac planè de beatitudine dicamus, præsertim cùm in ea rerũ* Cap. 6.

*humanarum finem vltimúmque ponamus. Quòd si quæ suprà dicta sunt paulò altius repetamus, multò breuior futura est oratio. Habitũ quidem eam esse negauimus, quòd dormienti per omne tempus ætatis adesse posset, etiam ei qui vitã plantarum degeret, eíque qui in maximis calamitatibus miseriísque versaretur. Quæ si minus probantur, potiúsque in actione quadam ponenda est, vt suprà docuimus: actiones autem aliæ sunt necessariæ & propter aliud expetendæ, aliæ vi sua & propter se: perspicuum est in iis quæ propter se, non propter aliud sunt petendæ, beatã vitam esse numerandã. Nihil enim beata vita desiderat, nihil requirit, nullo eget, sed seipsa contenta est. Sunt autem propter se expetendæ, ex quibus sola actio petitur: ex quo sunt genere virtuti consentaneæ actiones: (bene enim & præclarè facta omnia in illis ducuntur, quæ vi sua per se & propter se expetuntur) atque etiam eæ quæ gratæ sunt atque iucundæ ludorum oblectationes. Neque enim propter aliud expetuntur. Dant enim eis incommoda potius, quàm vtilitatem afferant: videmúsque eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationẽ, & confugiunt ad hæc vitæ instituta plerique eorum, qui beati putantur. Itaque apud tyrannos honorati sunt ij, qui in rebus & institutis huiusmodi comes se facetósque præbent. Quarum enim rerum illi cupiditate incensi sunt, in iis se iucundos & affabiles præbent isti, quales illi homines requirunt maximé. Atque hæc ipsa quidem videntur, propterea vitã beatam complere, quòd homines principatu, imperio, & potestate prædíti iis rebus operæ plurimum tribuunt. Sed fortassis ex iis non æquum est sumere argumentum. Neque enim in*

*potestate & imperio virtus ac ratio, à quibus honestæ actiones proficiscuntur, positæ sunt. Nec si propterea quòd partem nullam liquidæ voluptatis, & liberæ vnquam gustarunt, se corporis voluptatibus dedant, idcirco eæ putandæ sunt optabiliores. Nam pueri etiã quæ apud ipsos sunt in honore & precio, optima existimant: Consentaneũ est igitur, vt alia pueris, alia viris in honore sunt, sic improbis esse & bonis. Quare ea demum, vt sæpe dixi, habẽda sunt honorata & iucunda, quæ bono viro eiusmodi videbuntur. Singulis autem hominibus quæ à sua cuiusque affectione & voluntate ducitur, maximè expetenda actio est. Et bono igitur viro ea, quæ virtuti congruit. Nõ igitur est in ludo beata vita. Nam absurdum sit profectò, finem rerum omnium in ludo ponere, tótque ac tantas res gerere, tot vitæ pericula adire, tanta mala per omne tempus ætatis perferre, ob eam vnam causam, vt possis ludere. Omnia enim, verè vt dicã, excepta beata vita, propter aliud expetimus. Est enim ea finis & extremũ omniũ. Multum autem studij curæque ponere, & laborem ferre, vt ludas, stultũ quiddam & nimiũ puerile est. At ludere, vt serias res gerere possis, Anacharsidis sententia æquum est. Quoniam enim ludus requieti & cessationi similis est, quoniámque laborem ferre sempiternum minimè possumus, cessatione opus est. Non est igitur in otio & cessatione finis positus, quippe quæ ad actionem referatur. Beata autem vita, quæ bona est & seria, non in ludo, sed in virtute cõsistit. Quæque res bonæ & seriæ sunt, eas meliores dicimus iocis & lusibus: & melioris semper partis, & hominis actionem esse magis seriam, maioréque studio dignã. At optimæ cuiusque partis*

*actio optima est, & beatæ iam vitæ maximè propria videtur. Voluptatibus autem corporis frui quiuis potest, etiã mancipium, non minus quàm vir optimus. At beatitudinẽ mãcipio nemo tribuat, nisi etiam vitam beatam. Nõ enim in his vitæ degendæ rationibus beata vita, sed in virtute consentaneis, vt antè dixi, actionibus officiisque cernitur.*

Cap. 7. *QVOD si beatitudo actio est virtuti congruens, consentaneum est, vt sit optimæ consentanea, quam eandem sitam esse necesse est in parte optima, siue ea quidem mens est, siue alia pars aliqua, quæ naturæ lege imperare debet ac regere, notitiámque in se rerum honestarum ac diuinarum continere, seu diuina quædam res etiam est, seu in nobis ea nihil est diuinius: in eius certè actione virtuti propriæ consentanea completa & absoluta beatitudo ponetur, quam eandem in cognitione & contemplatione consistere, suprà demonstratum est. Id quod videri potest, & superioribus respondere, & conspirare cum veritate. Omnium enim actionum nulla est hac præstantior, nulla melior. Nam & mente nil melius in nobis est, & nil præstantius iis rebus quæ contemplationi subiectæ sunt, in quibus mens ipsa versatur. Tum ista actione nulla est diuturnior ac permanentior: nam contemplari diutius, quàm quiduis agere possumus. Præterea voluptatem putamus copulari, & connecti debere cum beatitudine. Omnium autem actionum quæ à virtute manãt, nulla est iucundior omnium consensu, nulla suauior ea, quæ à sapiẽtia proficiscitur. Itaque mirabiles quasdam sapientia, puritate, & stabilitate habet oblectationes. Verùm id consentaneum est doctos, quàm dubitantes & inscios, maiorem*

*percipere voluptatem. Illa etiam quæ fertur satis ampla, & se ipsa contenta rerum abundantia, in rerum cognitione & contemplatione consistit maximé. Omnium enim rerum quæ ad vitam degendam sunt necessariæ, & sapiens vir & iustus, & cæteri omnes indigent. Quæ profectò si suppetant adhuc, tamẽ vir iustus apud quos & quibuscum res iustas tractet, desiderabit. Itémque moderatus, & fortis, & cæteri. At verò sapiẽs etiam solus potest in rerum cognitione versari, eóque magis quò erit maiore sapiẽtia ornatus & instructus. Cui quanquam fortassis melius est ministros præstò esse, tamen se ipse est contentus maximé. Videtur etiam hæc actio propter se sola expeti, quippe ex qua præter contemplationem nihil consequatur: ab iis verò rebus quæ geruntur præter actionem, plus minúsque præterea assumamus. Beatitudo etiam in otio & cessatione videtur consistere. Negotia enim suscipimus, vt in otio simus: & bella gerimus ob eã causam, vt in pace viuamus. Ac virtutum quidem vsus & munera earũ quæ ad actionem rerum valent, in ciuilibus bellicísque rebus vigẽt maximè, quæque in his versantur actiones & officia, negotiosa videntur. Ac bellicæ quidem omnino. Nemo enim bellum, quia bellum est, gerere instituit, neque bellum parare. Crudelis enim videatur omnino, si quis contra amicos bellum instruat, vt pugna edatur, fiántque cædes. Est verò etiã negotiosum eius munus qui in reip. luce versatur, eíque præter reip. administrationẽ proposita sunt imperia & honores: aut certè hãc ipsam beatã vitã sibi procurat & ciuibus, aliã à ciuili quam etiã quærimus, quámque ab illa differre cõstat. Quòd si inter virtutũ actiones & officia bellica, &*

*uilia multò præstant, & dignitate, & magnitudine: hæc autem actuosa sunt, ad finémque aliquem referuntur, nec propter se expetũtur: mentis verò, & animi sapiens actio, & studio longè excellere videatur, vt quæ cognitione dirigitur, & præter se finem sibi nullum proponit, & propriam habet oblectationem, qua ipsa maximè augeatur. Hinc sanè fit, vt & illa setpsa contenta rerum abundantia, & otium, & vacuitas defatigationis, quantum natura humana patitur, cæteráque omnia quæ beato viro tribuuntur, hac ipsa actione contineantur. Hanc igitur vndique perfectam beatitudinem hominis esse necesse est, si perfectæ & absolutæ vitæ vsura accesserit. Nihil enim in beata vita non perfectum potest existere. Quæ talis vita profectò melior est, quàm vt attribuere eam sibi homo debeat. Eam enim agat, non qua homo est, sed qua in eo diuinum quiddam inclusum est: quod quanto præstat ei quod concretum est, tanto eius actio ei quæ à cæteris virtutibus proficiscitur, antecellit. Vt igitur diuinum quiddam mens est cum homine comparata, sic vita ei congruens & consentanea, diuina est ad humanam. Omnésque debemus, non vt hortantur quidam, spectare humana cùm simus homines, nec mortalia cùm mortales: sed quoad possumus, niti ad immortalitatem, omniáque perficere, vt vitam ex eo degamus, quo nihil est in nobis præstantius. Etsi enim mole exiguum est, at vi certè & dignitate multùm rebus omnibus antecellit. Quinetiam videtur quisque illud ipsum esse: siquidem id sit quod est in nobis optimum quódque principatum obtinet. Quò indignius videatur, si non suam quisque vitam sequatur, sed alienam. Accedit huc quod &*

*antea diximus, & nunc dici par est, quod cuique tributum sit à natura, id cuique esse, & optimum, & suauissimum. Et vita igitur homini est suauissima, menti congruens: siquidem est homo hæc pars maximè, quæ eadem vita etiam beatissima sit necesse est.*

SECVNDO *loco beatitudinis ea vita est, quæ reliquis virtutibus congruit, quòd actiones illis consentaneæ sint humanæ. Nam & iustitiæ nos, & fortitudinis, cæterarúmque virtutum muneribus officiisque vltrò & citrò fungimur, cùm in rebus contrahendis, in indigentia, in omnibus actionibus & perpessionibus suum cuique tribuimus pro dignitate, quæ ad naturam humanam perspicuum est omnia pertinere. Atque etiam à corpore quædam ex iis duci vidētur: habétque cum perturbationibus moralis virtus magnum commercium. Copulata etiam est, & connexa prudentia cum virtute, quæ spectatur in moribus, & hæc ipsa cum prudentia. Nam & prudentiæ initia manant ab iis virtutibus, quæ more perficiuntur: & quicquid in eis est quod bonum rectúmque sit, id omne à prudētia ducitur. Quòd si hæ ipsæ in perturbationibus inhærent, in eo toto quod ex anima & corpore concretum est, sitæ sint necesse est: cuius quoniam humanæ sunt virtutes, necesse est etiam vitam eam quæ ad eas dirigitur, & beatitudinem esse humanam. At verò quæ à mente vita, & beatitudo proficiscitur, ab illa separata est. Hæc enim de ea dicta sint hactenus: quoniam de ea subtilius disputare, maioris negotij sit, quàm quod suscepimus. Sed paulùm admodum hæc externa bona, & affluentiam, aut minus certè quàm quæ more perficitur, videtur requirere. Nam* Cap. 8.

*vt rerum ad viuendum neceſſariarũ vſum vtraque requirat, idque ſi ita vis ex æquo quanquam maior quædamei qui in Republica verſatur ad res corporis, cæteráſque omnes eiuſdem generis procurandas adhibenda ſit diligentia: ſed in ea certè re non ita multùm differunt: in officiis verò & actionibus ſequẽdis, plurimùm inter eos intererit. Nam & liberali ad tuenda officia liberalitatis, pecunia opus erit: & iuſto quidem ad referendã gratiam. Incertæ enim ſunt voluntates hominũ, multíque cùm iuſti non ſint, præ ſe ferunt iuſtitiæ ſpeciem & opinionem. Forti verò vis eſt neceſſaria, ſi quid virtute gerere velit: & moderato viro licentia. Quomodo enim perſpici poterit, vtrũ hac virtute præditus ſit, an ab ea alienus? Vtrum autem voluntas, & prima ſuſceptio plus in virtute poſsit, an effectus, quoniam in vtroque conſiſtit, quæſtio eſt. Nec dubium quidem quin in iis duobus perfectio, & quaſi ſumma conſiſtat. Sed actiones multa deſiderãt, eóque plura & maiora, quò maiores & clariores. At homo is qui in rerũ cognitione verſatur, res eiuſmodi ad actionem nihil requirit, quinetiam verè vt dicam, impediunt contemplationem. Sed tamen quia homo eſt, vitæque vſu cum multis implicatur, eo fit, vt officia cætera virtutis ſequatur & faciat: idcirco his ei opus erit, vt more hominum vitam poſsit degere. Hãc autem vndique completam, & abſolutam beatitudinem in actione quadam eſſe cognitionis & contemplationis, hinc etiã perſpici poteſt. Deos enim putamus eſſe beatiſsimos: quas tandem iis actiones, quæ officia tribuemus? Num iuſtitiæ? At nonne ridiculi videbuntur, ſi & res contrahant, & depoſita reddant, cæteráque faciant eiuſdẽ generis? An*

*fortes dicemus eos qui res asperas perferant, periculáque adeant ob eam causam, quia decet? Num liberales? At cui largientur? Absurdum etiam videatur, si numum, aut tale quid habeant. An verò temperãtes? At quî esse possunt? An non laus sit violenta & importuna, prauis eos vacare cupiditatibus? Atqui si per omnia actionũ officiorúmque genera expatiemur, perexiguam sanè laudẽ, & Deorum maiestate indignam continere videbuntur. Attamen eos viuere omnes existimant. Agere ergo etiam eos putant. Non enim par est, eos tanquam Endymionem, dormientes facere. Sublata igitur agendi, faciendique, ac multo etiam magis, ratione, quid tandẽ viuenti Deo præter contemplationem relinquitur? Ita Dei præstans beatitudine actio, in cognitione & contemplatione consistat, necesse est. Atque etiam hominum actio, vt quæque ad hanc proximè accedit, ita est beatissima. Idque ex eo intelligi potest, quòd cætera animalia sunt omnia expertia beatitudinis, cùm huius sint generis actione omni ex parte priuata. Nam omnis est Deorum beata vita: hominũ autem quatenus in ea elucet quoddam eius actionis exemplar. At ex cæteris animantium generibus nullum beatitudinem consequitur, quod cognitionis & contemplationis nullo modo sit particeps. Quàm ergo latè patet contemplatio, tam etiam beatitudo: & quò maior aliquibus inest cognitio & contemplatio, eò ampliorem beatitudinem consequuntur, non temerè & casu, sed per ipsam contemplationem. Est enim per se plena dignitatis. Ita est in cõtemplatione beatitudo. Commodis autem externis, cùm homo sit, indigebit. Imbecilla enim natura est ad rerum contem-*

*plationem. Sed certè opus eſt corpus valere, & vigere, præſidiáque alimento neceſſaria reliquúmque cultum ſuppetere. Nec ſi beatus ſine bonis externis eſſe nemo poteſt, idcirco multis & magnis beato fore opūs putandum eſt. Non enim in nimia quadam rerum omnium abundantia & affluentia, ſatietas poſita eſt, vel officium: poſſunt enim ij etiã qui terra marique non imperãt, res gerere, & magnas, & dignitatis plenas. Nam cui adſint modicæ ac moderatæ opes, is poteſt ea efficere, & præſtare omnia quæ virtuti congruunt. Quod planè cernere licet. Priuati enim homines, nihilo minus, ac multo etiam magis virtutem colunt, quàm ij qui ſunt in magiſtratu. Atque hæ tales ſatis magnæ ſint copiæ: quandoquidem vita futura eſt beata eius qui virtutem colet. Et Solon quidem beatos rectè profectò eos dixit, qui moderatis externis copiis & commodis præditi, res geſſiſſent illuſtriſſimas, & temperatè, moderatéque vixiſſent. Fieri enim poteſt, vt qui mediocres opes habeãt, officium ſequantur. Anaxagoras verò nec diuitem, nec potentem beatum iudicabat, cùm negaret ſibi mirum viſum iri, ſi ipſe multitudini, quæ ex bonis externis, quorum ſolum ſenſum habet, homines iudicaret, ineptus & ſtultus videretur. Cum rationibus igitur noſtris, ſapientum quoque ſententiæ congruunt, quæ magnam quandam habent illæ quidẽ authoritatem: ſed tamen cùm de officiis agitur, tum ex factis & vita, in quibus eorum vis præcipua cernitur, veritas iudicatur. Spectanda igitur ſunt antedicta omnia: quæ ſi cum factis conſentiant, comprobare: ſin diſcrepant, verba modò exiſtimare debemus. Vt autem quiſque mentem vitæ actioniſque ducẽ maximè ſequitur & colit, éſtque*

*optimè animo constitutus, ita est Deo charissimus. Etenim si Dij res curãt humanas, sicuti curant, profectò illud quidem est consentaneum, vt re delectentur & optima, & quæ generis societate cum ipsis sit coniunctissima, qualis mens videtur esse: iisque hominibus, qui eam rem maximè ament & colant, beneficia reddant, quòd res eas curent illi quas habent charas, rectéque ac præclarè facta sequantur. Nec verò dubium est, quin hæc ipsa insint omnia sapienti. Ergo Deo charissimus est, idémque beatissimus debet esse. Ita sapiens maximè est beatus futurus.*

SED *quoniam de his rebus, de virtutibus, de amicitia,* Cap. 9.
*de voluptate satis multa dicta sunt populariter, ac pingui quadam Minerua: quæret aliquis, num finis instituti mei venisse putandus sit, an, vt aiunt, cùm officia & actiones traduntur, non est finis in cognitione positus, sed actione potius singulorum. Ergo nec virtutem quidem satis est habere cognitam, dandáque opera est, vt & habere eam & colere possimus: aut si quo alio modo mouemur, vt boni simus. Ac si in verbis quidem satis magnà vis esset ad virtutem, iure profectò Theognidis sententia, magnum illa quidem fructum ferrent, eáque adhiberi oporteret. Nunc verò valere illa quidem videntur ad hortandos excitandósque adolescentes liberaliter educatos: valent etiam ad mores ingenuos imbuendos, & ad honestatis studium, cùm iam mores recta educatione exculti sunt: sed plerosque ad virtutem non possunt traducere. Neque enim pudore pare-re solent, sed metu: nec deterret eos à facinorosa vita ipsa turpitudo, sed pœna. Cùm enim in vita animi perturbationibus obediant, suas quisque voluptates persequuntur,*

*eáque omnia ex quibus oriantur, fugiúntque dolores contrarios. Honesti autem veræque voluptatis, quam nunquã degustarunt, nec partem norunt vllam, nec vnquam nosse voluerunt. Hos ergo tales homines, quæ tandem vis orationis posit à peruersa illa, & facinoroſa vita ad rectam honestámque deducere? Non enim potest, aut non facilè potest, si quid est penitus insitum moribus, id oratio euellere. Sed contentiesse debemus profectò, si iis omnibus adhibitis, quibus probi videmur fieri posse, virtutis compotes simus. Probos autem fieri, alij natura putant, alij consuetudine, plerique doctrina. Ac illud quidem perspicuum est, quod in virtutis actione naturæ est, non esse illud in nostra situm potestate, sed à diuina quadam vi iis suppeditari, qui verè sint fortunati. Orationis autem & doctrinæ via nunquam apud omnes idem valet, sed debet antè, vt humus quæ semen fotura est, sic impotentis animus quibusdã moribus excoli, vt rectè lætari ac dolere posit. Non enim audiat, intelligátve orationem dehortantis is, qui pareat perturbationibus. Qui verò ita sit affectus, quo tandem modo verbis poterit deduci de sententia? Omnino verò non oratione videtur, sed vi perturbatio posse sanari. Quocirca mores quodam modo antè inesse oportet virtuti accommodatos, qui & honestatis amore & turpitudinis offensione moueãtur. Difficile autem est, cùm his legibus talibus non sis educatus ab ineunte ætate, rectam vitæ viam ad virtutem ferentem assequi. Nam cùm plerisque moderatè & constanter viuere molestum est, tum adolescentibus maximé. Itaque præscribi educatio, & studia debẽt legibus, quæ minus molesta futura sunt, si consuetudo adhibeatur. Nec verò for-*

*taſſe ſatis eſt quidem ab ineunte ætate educationem, ratio-*
*némque viuendi rectam ſequi, ſed confirmatis iam ætatibus*
*omnes oportet in his ipſis ſtudiis verſari, ad eáque adiun-*
*gere conſuetudinem. Itaque in his quidem, omninóque per*
*omne tempus ætatis legibus opus eſt. Plerique enim vi po-*
*tius quàm ratione, & pœna magis quàm honeſtate ad offi-*
*cium impelluntur. Quocirca latores legum putant nonnul-*
*li debere adhortari & incitare ad virtutem honeſtatis ſtu-*
*dio, quòd conſuetudine in primis ſint obtemperaturi boni:*
*in eos autem qui parere nolint, nec generoſi ſint, pœnas &*
*ſupplicia conſtituere. At eos qui à peruerſa vita detorque-*
*ri nullo modo poſſint, ex corpore reip. exterminare omni-*
*no. Nam & bonum virum qui honeſtè viuat, rationi obe-*
*diturum: & improbum, qui voluptatis cupiditate incen-*
*ſus ſit, tanquam iumentum, malo demum coerceri poſſe.*
*Itaque pœnas aiunt eiuſmodi extare oportere, quæ volu-*
*ptatibus, quibus erant dediti, repugnent maximé. Si quis*
*igitur bonus futurus eſt, primùm rectè, vt dixi, educari*
*debet, conſuetudinémque exercitationis capere: deinde ho-*
*neſtis ſtudiis ætatem conterere: quæque flagitioſa ſunt, nec*
*inuitus, nec ſua ſponte admittere. Quæ quidem omnia*
*ita fient denique, ſi quis vitæ ducem rationem ſequatur,*
*& cui vis ad cogendum inſit, rectam præſcriptionem. Ac*
*patrium quidem imperium nec cogit, nec vim aut neceſſi-*
*tatem affert: neque cuiuſquam hominis vnius omnino, niſi*
*qui rex ſit, aut ſimili aliqua poteſtate præditus. At verò*
*lex vim habet ad cogendum idoneam, quæ ſit mens ratió-*
*que prudentis. Et improbi quidem eos oderunt, qui ipſorum*
*obſiſtant cupiditatibus, etiam ſi rectè hoc facere videan-*

*tur. At lex non est inuisa, cùm bonum æquúmque decernit. In sola autem Lacedæmoniorum ciuitate, ac paucis aliis, legislatori curæ fuit educationis disciplinæque ratio. In plerisque hæc neglecta sunt omnia, in quibus pro sua quisque libidine vitam agit: Cyclopúmque more & liberos regit & vxorem. Ergo omnium rerum nihil est melius, nihil præstantius, quàm si recta disciplina publicè sanciatur, quam omnes sequi possint. Quæ si publicè negligatur, tum par erit omnes ad virtutem adiumentum adferre suis liberis & amicis, aut certè velle. Quæ omnino facultas penes eum erit maximè, qui superiora hæc præcepta secutus, facultate legum ferendarum multum valebit. A lege autem publicæ disciplinæ ducuntur, sed rectè à bonis. Vtrum autem scriptæ sint, an non scriptæ: aut vnúsne an multi his instituantur, nihil interfit: sicuti nec in musica, nec in gymnastice aliisque studiis. Vt enim in repub. ius legitimum & consuetudo, sic domi priuatim paterna præcepta paternique mores & instituta valent: eóque magis, quòd generis inter eos & beneficiorum intercedit communio. Amicitiam enim natura inter eos, animorúmque ac voluntatum consensionem peperit. Iam verò vt in medicina, sic hîc priuatæ à publicis disciplinæ differũt. Nam generatim omni homini qui æstu febrique iactatur, prodest inedia & quies: at alicui forsan non prodest. Nec certè ludimagister pugilibus omnibus idem genus pugnæ præscribit & cõstituit. Singulæ autem res ita demum tractabuntur accuratius, si propria singulis diligentia adhibeatur. Omnes enim ita vtilitatem assequuntur melius. Sed ita denique summam curam & diligentiam rebus*

*ſingulis & medicus, & gymnaſtes, & quiuis alius adhibiturus eſt, ſi genus totum intelligat omnibus ſcilicet hoc prodeſſe, vel talibus. Scientiæ enim dicuntur, ac ſunt rerum vniuerſarum propriæ. Et quanqam nihil fortè prohibet rectè curare aliquid eum, qui ſit ille quidem inſcius, ſed tamen omnia notauerit & obſeruarit, quæ quanque rem conſequantur: ſicuti etiam ſunt quidam medici, qui ſibi ſunt optimi, & tamen alteri nihil opis ferre poſſunt: tamen nihilominus ad res vniuerſas debet fortaſſe contendere, eáſque tenere quoad fieri poterit, is quidem qui ſe doctum & artificem eſſe velit. In his enim artes dicimus conſiſtere. Ac ſi quis forſan ſuo ſtudio & diligentia ſiue multos, ſiue paucos meliores velit efficere, ei danda opera eſt, vt ad leges imponẽdas aptus eſſe videatur: ſiquidẽ boni futuri ſumus legibus. Neque enim cuiuſuis eſt noſſe quas leges ponere oporteat, & quomodo rectè diſponendæ quas ponere velit: ſed ſi quis hoc poteſt, profectò peritus & doctus: id quod in medicina videre licet, reliquiſque rebus omnibus, in quibus diligentiæ & prudentiæ locus eſt. Nunquid ergo id nunc exquirendum eſt, vnde, aut quo tandem modo quis rationem condendarum legum poſſit aſſequi: an vt in cæteris fit, ab iis id petendum eſt, qui ciuili ſcientia ſunt præditi? pars enim ciuilis ſcientiæ videbatur. An non idem fit in ciuili ſcientia, quod in reliquis ſcientiis & facultatibus omnibus? In aliis enim eoſdem conſtat & artem ipſam tradere, & eadem duce fungi munere, vt medici & pictores faciunt. Atqui res ciuili ſcientiæ ſubiectas ſe profitentur Sophiſtæ eſſe docturos, ſe autem eas geſturũ eſſe nemo profitetur: ſed qui Remp. gerunt: qui hoc ipſum*

*vi quadam & vsu potius præstare videntur, quàm consilio atque ratione. Neque enim aut hæc mandant literis, aut de iis disserunt, etsi præstantius sit profectò, quàm vel iudiciales orationes vel conciones. Nec verò ciuili scientia erudierunt suos liberos, vel alios amicos: quod certè cõsentaneum fuisset, id si præstare potuissent. Non enim aut Reipublicæ quicquam melius hac vi & facultate relinquerent, aut sibi adesse malint, aut iis etiam quos habent charissimos. Non tamen videtur parum adiuuare experientia. Neque enim scientiæ ciuilis cõsuetudo eos ad Rẽp. gerendam paratiores & instructiores faceret. Quocirca qui ciuilis scientiæ studio trahuntur, iis necessaria experientia est. Qui autem sophistæ hanc profitentur scientiam, procul admodum ab eo absunt vt doceant: quippe qui omnino nec quid sit ipsa norint, nec quibus in rebus versetur. Non enim eandem quam rhetoricen, nec inferiorem ponerent: nec facile esse putarent ferre leges ei, qui probatas leges vnum in locum contulisset: licere enim deligere optimas: quasi delectus non sit prudentiæ, & iudicium verum non sit omnium maximum. Quod in musicis animaduerti potest. Qui enim in rebus singulis exercitati sunt, ij verè de operibus iudicant: quibúsque rebus & quemadmodum perficiatur decorum, intelligunt, & quæ quibus congruãt. At imperiti contenti sunt, dum non fiat manifestum, recténe res acta sit, an præposterè, quod in pictura contingit. Cùm autem leges sint veluti opera ciuilia, quo tandem pacto quisquam per eas scientia legum ferendarum erit instructus? aut quæ optimæ sint, iudicabit? Non enim medici habendi sunt ij, qui habent cognita quæ libris me-*

*dicorum traduntur, etiamsi non solùm curationes conentur tradere, sed etiam vt curari ægri possint, & quemadmodum sint adhibendæ curationes, suis cuiusque expositis affectionibus. Quæ exercitatis & peritis omnia magnum adiumentum adferant, insciis non item. Ita fortassis legum ac rerum publicarum collecta instituta eos adiuuabunt, qui recténe, an contrà, aut quæ quibus cõueniant, cognoscere ac iudicare poterunt. At qui ea euoluent & percurrent sine quadam animi affectione, vt nunquam verum inde quidem iudicium comparare possint, nisi fortuitu, at certè prudentiores in his sunt futuri. Quoniam igitur superiores prætermiserunt, quæ ad scientiam legum ferendarum pertinent, de iis disputare est melius, ac de toto genere Reipub. vt quæ in rebus humanis versatur philosophia, à nobis, quoad eius fieri poterit, vndique suis partibus omnibus perfecta absolutáque videatur. Ac primũ quidem si quid à maioribus rectè traditum sit, exponam: deinde ex iis rebus publicis quas collegimus, quæ res euertant Respub. perspiciemus, & quæ conseruent: & quid ita aliæ rectè, aliæ contrà, administrentur. His enim cognitis, facillimè fortassis & quæ omnium optima sit, & quemadmodum singulæ constitutæ sint, & quibus legibus institutísque vtantur, intelligemus.*

FINIS.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE PARIS SORBONNE